


oo ge





Gelagerechte Sprüche

von Johannes Krause, Kantor in Zeitz 1673-1676,
früher Adjunkt der Philosp. Facultät in Sena, Kantor
in Annaberg und in Arnstadt gelehrt,
war nicht zu bezweifeln.

Sein Nachfolger hat nicht genau in Zeitz gelehrt.

Leipzig
Unter Nr. 1.

LIBRARY OF THE
ACADEMY OF SCIENCES
OF THE
ROYAL SOCIETY OF
EDINBURGH
1841
MAY 10 1841
EDINBURGH
UNIVERSITY OF
EDINBURGH
LIBRARY OF THE
ACADEMY OF SCIENCES
OF THE
ROYAL SOCIETY OF
EDINBURGH
1841
MAY 10 1841
EDINBURGH
UNIVERSITY OF
EDINBURGH



AUSPICE JESU!
CHRISTIANI CHEMNITII,
SS. Theol. D. Prof. Publ. Pastoris & Superin-
tendentis b. m.
BREVIS COMMENTARIUS

in
CAP. I. EPISTOLÆ
ad

ROMANOS,

Quem
PRÆSIDE
VIRO

MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO

JOH. ERNESTO GERHARDO,

SS. Theol. D. & Prof. Publ. h. t. designato

RECTORE MAGNIFICO,

Dn. Patrono, Doctore atque studiorum suorum Promotore

filialis observantiæ & gratitudinis cultu ac vultu

æviternum devenerando,

Publica ventilationi subjecit

M. JOHANNES CRAUSIUS,

Thumâ - Misnicus,

FAC. PHILOS. ADJUNCTUS,

In Auditorio Theologorum

Anno Epochæ Christianæ

cio Ioc LXVII.

JENÆ, Typis Johannis Jacobi Bauhoferi.

ASPICE JESU!
CHRISTIANI CHEMINITII
SS. Theol. D. Prof. Publ. Pastoris & Superin-
tendentis d. m.

BREVIS COMMENTARIUS

IN
CAP. I. BISTOLAE

ROMANOS

MAGNifico, MAXIME REVERENDO ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO

JOH. FRIESTO GERHARDO

SS. Theol. D. & Prof. Publ. d. c. designato

Rectore Magnifico

Dr. Patrono. Dogore acque Iudiciorum in omni Promotore
utilis observantia & gratitudinis cultus valeat

M. JOHANNES CRASSIUS

Thomae Minister

Fac. Philos. Adjunctus

In Auditorio Theologorum

Anno Epochae Christianae

CLC LCC LXXVII

JENAE, Typis Johannis Jacobi Bachoferi.





In Nomine SS. TRINITATIS!

BREVIS COMMENTARIUS
SUPER EPISTOLAM PAULI
AD ROMANOS.

PROLEGOMENA.

Dæclare dicit Lutherus in præfatione super Apocalypsin, *Errorem de justitiâ operum esse primam, ultimam & mediam, atque adeo perpetuò durantem hæresin.* Interest igitur Ecclesiæ Dei, puram conservare Doctrinam Articuli justificationis & salutis, tanquam præcipuam. *Novimus enim in rei veritate, inquit Lutherani Theologi in suo Responso manuscripto, Protestantibus Principibus, in Comitibus Augustanis, Anno M. D. XXX. dato, quòd omnis controversia de hoc solo articulo sit, quòd docemus, nos per fidem in CHRISTUM, non per nostra propria opera & merita remissionem peccatorum consequi, & quòd hoc ipso certo solari nos debeamus, & in eo fidere, quòd propter Christum, non per nostra merita gratiam adipiscamur: quia Christus solus positus est tanquam Reconciliator, cujus justitiâ nobis donatur per fidem.* Cum itaq; Doctrinam hanc abundantissimè & ipsâ luce clarissimè tradat Epistola ad Romanos; adeò ut ipse Bellarminus, lib. 1. de Justif. cap. 19. de ea dicat: *Voluit Apostolus in hac ad Romanos, & eâ, quæ est ad Galatas, Epistolâ demonstrare, neminem posse justificari sine fide in Christum, & gratuita DEI misericordiâ: quamvis addere debuisset: neminem posse justificari, nisi solâ gratuita DEI misericordiâ: Hæc enim est vera & claris verbis expressâ mens Pauli. Ideo animus est: EAM, cum DEO, brevi commentario illustratam, Auditoribus nostris tradere.*

A

Opera

Opera autem manuum nostrarum ex alto Dominus juvet, dirigat & clementer secundet!

CAUSA EFFICIENS hujus Epistolæ Principalis, est Spiritus Sanctus, 2. Petr. 1. v. 21. *Ministerialis* autem Paulus Apostolus: conversus ad fidem, teste Baronio, anno à resurrectione Christi secundo. Cui ipse Salvator noster has laudes & hoc e-logium tribuit, quòd sit *σκέυον ἐκλογῆς*; *Vas* sive *Organum DEI electum*, ad portandum nomen Christi coram gentibus, & Regibus & filiis Israël, Act. 9. v. 15. Et qui peculiari Spiritus Sancti mandato ab Ecclesiâ Antiochenâ segregatus fuit ad docendum Evangelium inter gentes, Act. 13. v. 2. Unde & se dicit *Apostolum*; non ab hominibus, neq; per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitavit illum ex mortuis, Galat. 1. v. 1. Atque de Evangelii sui veritate certum se esse pronunciat, ut versu subsequenti 8. exclamat: *Si Angelus è celo predicaverit vobis Evangelium, præter id, quod predicavimus vobis, anathema sit. Non ausim* enim, inquit in nostrâ hâc Epistolâ cap. 15. v. 18. *loqui quicquam, quæ non effecit Christus per me in obedientiam gentium verbo & factò; Per potentiam signorum ac prodigiorum, per potentiam Spiritus DEI.* Scripta est autem ab ipso hâc Epistola non primo, sed septimo loco: Ut ex Theodoreti verbis constat, qui in præfat. ad omnes Pauli. Epistolas inquit: *Ultima omnium, quæ ex Asiâ, & Macedonia & Achaiâ missæ sunt, scripta est ad Romanos Epistola, & locum habet septimum.* Prima enim fuit Prior ad Thessalonicenses. *Secundâ*, Posterior ad Thessalonicenses. *Tertia* Prior ad Timotheum. *Quarta*, Prior ad Corinthios. *Quinta* ad Titum. *Sexta*, Posterior ad Corinthios. *Septima*; Hæc nostra ad Romanos; & quidem ante captivitatem ultima. Ponitur autem nihilominus primo loco; non quidem ob præ eminentiâ Romanæ Ecclesiæ, ut voluit *Ambrosius Catharinus*, sed propter multitudinẽ & præ eminentiâ & *sublimitatẽ Doctrinæ*, quæ in eadẽ continetur. Est enim reverà compendium Theologiæ, & totius Christianismi luculentissimũ: quoniam omnis generis doctrinas complectitur, & in primis funda-
men-

mentum salutis nostræ, articulum de Justificatione copiose & evidenter exponit; & propterea habenda erit pro Catechesi.

MATERIA circa QUAM, sive objectum; Et quidem, ad quos perscripta fuit; ut Titulus præ se fert, fuerunt *Romani*. Ad Romanos enim missa fuit à Corintho, per Phœben, ministram Cenchreensis Ecclesiæ, ut ultimus versiculus capituli XVI. docet. Intelliguntur autem sub *Romanorum* nomine omnes Christiani, qui tum temporis Romæ vixerunt, sive Judæi fuerint, sive gentiles; sive jure civitatis fuerint donati, sive non. Fuerunt enim tempore Tyberii Claudii Cæsaris octo millia Judæorum Romæ, teste Josepho, lib. antiquit. Judaicarum 17. cap. 12. Qui quamvis ob paucorum hominum scelera anno Ejusdem imperii nono omnes Urbe pellerentur, idque Nativitatis Christi anno LI. ut idem lib. 18. c. 5. refert; mox tamen Agrippa & Herode Regibus intercedentibus, publico edicto restituti fuerunt. Quos inter sine dubio etiam fuerunt Christiani. Quamquam autem hæc Epistola ad Romanos sit scripta: non tamen iis solis, sed omnibus etiam Christianis in genere est scripta, & ad eosdem pari jure pertinet. Rectè enim in præfatione super hanc Epistolam Flacius in Glosâ compendiaria p. 640. *Hæc Epistola ad Romanos ita est scripta, itaq; generalem doctrinam, omnibus Ecclesiis ex æquo necessariam communemq; continet, ut si initio & in fine quadam per pauca nomina propria personarum locorumque mutata fuissent, non ita multum retulisset, ad quam Ecclesiam, homineque, & quo tempore missa fuisset. Memento enim, inquit etiam Augustinus. lib. I. contra Crescon. Grammaticum, Apostolicas Epistolas non eis tantum scriptas, qui tempore illo, quo scribebantur, audiebant: sed etiam nobis. Non enim ob aliud in Ecclesiâ recitantur.* MATERIA autem CIRCA QUAM, sive 2. OBJECTUM, de quo agit; Quæ & MATERIA ex QUÀ hic vocari potest, sunt 1. credenda. 2. facienda. Comprehendit enim hæc Epistola plurima mysteria fidei tum legalia, tum Evangelica, & varia præcepta pietatis continet ex quibus constat & composita est.

FORMA. Est *αὐθιρία* sive *Auctoritas* illa divina & *Canonica*, quam habet, à causâ Efficiente principali Spiritu Sancto dependens. Et Divina isthæc est Canonica Auctoritas innotescit nobis 1. per *testimonium Spiritus Sancti internum*: Spiritus enim est, qui testatur, quòd Spiritus sit veritas, 1. Joh. 5. v. 6. & qui sibi ipsi satis idoneus est testis in animo legentis vel audientis; ac quasi per intrinsecam reflexionem dicit: se ipsum esse, qui loquatur. Quò referenda sunt *ἁγιόγρα* illa insita, ipsi cum aliis Sacræ Scripturæ libris communia, qualia sunt, majestas rerum, gravitas styli, convenientia cum reliquis Scripturæ Canonice libris. 2. *Per testimonium Ecclesie externum.* Ubi eminent testificatio Petri, 2. Petr. 3. v. 15. ex inspiratione divinâ profecta. & suo loco subsequitur, testificatio Ecclesie Doctorum. Nemo enim unquam illorum, qui libros Canonicos enumerarunt, de hujus Epistolæ auctoritate hæsit: sed omnes unanimi consensu eam Canonicis Scripturæ Libris indubitato annumerarunt. Quemadmodum inter alia videri potest apud Hieronymum in Prologo galeato, Eusebium lib. 4. hist. Ecclesiasticæ, cap. 25. Originem, lib. 6. c. 19. & Cyprianum in expositione Symboli. Est autem PROLOGUS ille GALEATUS, toties Theologis citatus, ut hoc obiter, & quasi in transcurso adjungamus, Præfatio Hieronymi in Libros Regum. De quo ipsemet Hieronymus: *Hic Prologus Scripturarum quasi GALEATUM PRINCIPIUM, omnibus libris, quos de Ebræo vertimus in Latinum, convenire potest, ut scire valeamus, quicquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum.* Accepit igitur ista Præfatio hoc nomen, quod quasi *galea* quedam tueatur librorum Canonicorum auctoritatem: Sive ut loquitur Scholiastes ad illa verba: *quod defendat Sacram Scripturam contra illos, qui inducunt apocrypha pro hagiographis*

FINIS: Est idem, qui reliquarum Scripturarum Canonicarum. Nempe 1. Nostra Doctrina, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus, Rom. 15. v. 4. Et ut sit utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad

cor-

correctionem ad institutionem in iustitia, 2. Tim. 3. v. 16. 2. Hominum SALUS. Continetur enim eâ Evangelium Christi, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti, Judæo primum simul & Græco, Rom. I. v. 16. & I. Cor. I. v. 18. 3. Dei Gloria. Qui enim nos iussit omnia in Gloriam DEI facere, I. Cor. 10. v. 31. ipsemet quoque scripta sua non nisi in Gloriam totius sacrosanctæ Trinitatis edidit.

OCCASIO. Cùm sub initium Imperii Claudii, teste Orosio, lib. 7. c. 4. Religio Christiana feliciter Romæ plantari cœpisset, & quidem credentium fratrum, qui illuc ex Judæa advennerant, Ministerio: (quamvis Guilielmus Estius in argumento hujus Epistolæ, præter fratres, qui illuc ex Judæa advenerant, profundatore Romanæ Ecclesiæ nominet quoq; Petrû Apostolum. Et Alphonfus Salmeron, Tom 13. disp. 4. p. 10. fortassis etiam dicat, Ecclesiam Romanam principatum habere ovilis Dominici in Petro & successoribus:) accidit illud imfortunium, cujus antea facta mentio, ut omnes Judæi Româ pellerentur. Quos inter fuit quoque Aquila Ponticus, cum conjugè Priscillâ; qui strenuam operam, unâ cum aliis, in propagandâ fide Christianâ antehac Romæ navarant, jam autem Corinthi degebant. Apud hos igitur, cùm Athenis Corinthum delatus, Paulus diverteret: inaudivit, omnes Judæos Româ pulsos esse, & Ecclesiam ibi fundatam non parum periclitari, ob defectum Doctorum, quos hætenus ferè non nisi Judæos habuisset. Quandoquidem igitur tam celebris ibi erat Ecclesia; & de illorum fide plurima eaque laude digna Apostolo relata fuerant: Ideo captâ hinc occasione, jacturam Doctorum scriptâ Epistolâ compensare, & illis salutis doctrinam, ceu compendiô quodam tradere voluit. Veluti hæc ex ipsis Actis Apostolorum cap. 18. v. 1. & 2. patent; ubi dicitur: Paulus digressus Athenis venit Corinthum. Et nactus quendam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italiâ, & Priscillam uxorem &c. ejus; Et additur: Eò quod præcepisset Claudius, omnes Judæos Româ,

decedere accessiet ad eos. Et insuper apparet, quòd hæc Epistola à Paulo scripta sit cum magno Spiritus fervore, & quidem in medio Apostolatûs ejus; anno nempe Imperatoris Claudii decimo: Apostolatus autem XVIII. Impulsus autem, quo ad scribendum actus, non nisi divinus fuit. Impulsu enim Spiritûs Sancti locuti sunt sancti DEI homines, 2. Petr. I. v. 21. Hanc occasionem, cum Mylio comment. in hanc Epistolam, censemus fuisse *primariam*. Ad di autem potest etiam deinceps ea, quæ communiter ab aliis allegatur. Nempe motas fuisse in Ecclesiâ Romana controversias. Et quidem 1. à PseudoApostolis sive Judæis aliis, urgentibus opera legis, & partim fide, partim operibus legis justificari volentibus. Vel etiam quia Apostolus veritus fuerit, ne isti circumcelliones Romanam Ecclesiam quoque invaderent & turbarent. 2. Ab ipsis Ecclesiæ membris; Judæis sese efferentibus ob Legem, ob circumcisionem & ob sanctitatem; Gentilibus autem ob Philosophiam, ob Judæorum reprobationem, & ob Imperii sui excellentiam, & utrisque libertate Evangelicâ ad licentiam carnis abutentibus. Quam fuisse Epistolæ hujus occasionem, sensit B. Gerhardus, Disp. Isagog. II. cap. I. §. 6. & notis in priora Epistolæ hujus capita, p. 9. Item Weinrichius, comment. in hanc Epistolam, p. 9. *Occasionem*, inquit, *scribenda hujus Epistolæ, Paulo præbuit turbulentus Ecclesiæ Romane status*. Et Estius; p. I. scribit: *Illud potius dicendum, occasionem hujus ad Romanos epistolæ scribenda natam fuisse ex contentione, quæ Romæ inter Judæos & gentiles, utrosque fideles, suborta fuerat de meritis & justificatione*. Utramque autem conjungit, & tandem in prius adductam, tanquam *primariam* nobiscum inclinat quoque David Rungius, in Disputat. I super hanc ipsam Epistolam, Thes. XVI. Scripta esse dicitur, à Paulo, inquit, vel, ne PseudoApostolorum passim oberrantium, & Ecclesias recens plantatas turbantium conatus anteverteret; vel ut vivam doctentium vocem suppleret. Cùm enim sub initium nascentis Eccle-

Eccle-

Ecclesiæ plerique Doctores essent Judæi, & hos ob unius Judæi sacrilegium, universos, Claudius Imperator, urbe Româ exegisset, Act. 18. v. 2. videbatur Ecclesia Romana docentibus orbata, periclitatura de puritatis & constantiæ laude, quam illi tribuit Apostolus Rom. 1. Defectum itaq; Doctorum compensat Paulus scripta hac Epistolâ, quâ ceu doctrinæ & vitæ Christianæ normâ, interim utantur, donec tranquilliora esfulgeant tempora. Hæc Rungius rectissimè. Prior itaque ista occasio est citra controversiam POTISSIMA. Voluit enim omnino Romanos vivis doctoribus ferè destitutos in fide confirmare Apostolus, illisque quoddam Christianæ Doctrinæ veluti compendium tradere. Unde & Epistola hæc meritò audit Clavis univèrsæ Scripturæ, Sacræ Theologiæ compendium, fundamentum præcipuum, verum & *γυμνάσιον* Evangelium, apud Rung. cit. l. Thes. 5. cui si doctrinam de Institutione Baptismi, & Eucharistiæ, & declarationem plenioris articuli de Trinitate addas, Corpus Doctrinæ Christianæ sis habiturus. Ac notanter Lutherus in cap. 42. Genes. p. 58. *Si vultis feliciter versari in Theologiâ, ac sacrarum literarum studiis, neque impingere in Scripturam clausam, seu obsignatam, ante omnia discatis peccatum rectè intelligere, ac Epistolæ ad Romanos sit vobis janua & clavis ad scripturam sanctam; alioquin ad Ejus intellectum, & cognitionem nunquam penetrabitis.*

ARGUMENTUM, (Rectè enim Flacius, part. 2 Clavis R. 13. de ratione cognoscendi sacras literas, p. 6. *Utile est, argumentum aut summam totius scripti cognoscendi breviter discen- tibus proponi*) sive SUMMA Epistolæ est hæc: Docere voluit Paulus viam sive modum justificationis & salutis. c. 1. igitur & 2. usque ad medium 3. omnes homines concludit sub peccatum, & planè removet opera, demonstrans, neminem per opera justificari posse: sed solâ fide. Unde sub finem capitis tertii concludit: v. 28. Arbitramur, hominem justificari per fidem sine operibus Legis. Argumentum est hoc: Aut operibus justificantur homines, aut fide: At non justificantur operibus. E. fide

fide. Major patet ex perpetuâ oppositione five disjunctiōe fidei & operum in articulo justificationis & salutis; Minor autem in cap. 1. 2. & initio tertii probatur: quia neque gentiles ex Lege naturali, c. 1. neque Judæi ex Lege Mosis justificati fuerunt; c. 2. sed omnes peccaverunt, & destituuntur gloriâ DEI, cap. 3. v. 23. Relinquitur igitur conclusio, v. 24. statim sub-juncta: Justificantur autem gratis per illius gratiâ, per redemptionem, quæ est in CHRISTO JESU. & v. 28. Arbitramur, hominem justificari fide, sine operibus legis. Non ergo alia relicta est ulla salutis via, quàm miseratio divina, merito Christi conciliata, per fidem unice amplectenda. Hanc suam conclusionem ex abundantia postea cap. 4. probat exemplo Abrahami, & simul justificationis naturam ostendit. Deinde cap. V. vim justificationis declarat ab effectu, à pace videlicet conscientiæ, conferendo simul per antithesin causas justificationis & condemnationis, vitæ & mortis. In VI. porro diluit objectionem & calumniam PseudoApostolorum, qui dicebant, ex hâc doctrinâ sequi dissolutionem vitæ & morum; simulq; de novitate & sanctimoniâ vitæ agit; ostendendo cap. VII. quomodo comparata esse debeat, & quod contingat secundum novitatem libertatemque Spiritûs; & quod sit imperfecta, & demonstrando verum usum Legis, qui sit arguere peccata in non renatis; renatos autem de reliquiis peccati commonefacere; simulq; eis sanctitatis viam monstrare. In VIII. Spem confirmat, ostendens, nec Legis maledictionem, nec peccati reliquias, nec tribulationes quicquam obesse justificatis, aut eos à Deo separare posse. In IX. X. & XI. agit de Judæorum reprobatione, ita tamen, ut eam ab articulo justificationis suspendat, & eandem doctrinam ad institutū suum flectat, demonstrando, ideo Judæos reprobatos, & alios quoque reprobari posse, quod non acceptent & querant justitiam fidei. Atque ita articulum justificationis non ab articulo Electionis & Reprobationis: sed contra articulum Electionis & Reprobationis ab articulo Justificationis pende-

ostendit, ut patet. Dicitque, etiamnum Judæis ad Christum, & ad Articulum justificationis, ac ita consequenter articulum Electionis quoque (quoniam non aliter elegerit DEUS homines ab æterno; quàm prout in Christum in tempore eos præviderit perseveranter credituros) patere aditum; & gentiles impietate & securitate, à gratia posse excidere. In XII. & reliquis autem usque ad finem traditur Novitas vitæ, sive sanctimonia, quomodo erga quosvis & in quibusvis Renati se debeant gerere; adeoque integritas morum & vitæ commendatur. Amplectimur igitur ambabus, quod dicitur, & confertis manibus, quòd loc. cit. p. 2. commentatus est Guilielmus Estius. *Paulus in hac Epistola, inquit, primùm utriusque partis fastum deprimit, ostendens, omnes, priusquam à DEO vocarentur ad fidem CHRISTI, fuisse peccatis subditos, & à vera justitiâ alienos; ideoque nihil habere, de quo vel alteri adversus alteros sese venditent, vel utrique gloriari coram DEO possint, tanquam de aliquo merito gratiæ & salutis oblata per CHRISTUM. Docet itaque, gratuitum DEI donum esse justificationem: hoc est, non per legem, aut ex ullo operum merito, dignitate, respectu; sed gratis per fidem in Christum propitatorum, justificari tam gentiles, quàm Judæos. Et subdit: Atque hic status est & principale argumentum epistolæ. Quod autem de suo postea addit: Est autem hæc vera ac germana de Justificatione doctrina; non quæ opera nostra à negotio justificationis simpliciter excludat, ut Sectarii volunt (siquidem & ipsa fides opus quoddam nostrum est) sed quæ à justificatione removeat opera sive legis, sive nature, fidem præcedentia, & omninò ea, quæ non sunt ex fide: id admittendum non est, quoniam non admittitur neque docetur ab Apostolo. Admittimus autem, quòd paulò post ingenuè confitetur, de Lege morali disputationem esse, quam Judæi scriptam in tabulis acceperant, gentiles tantùm animis impressam gerebant. Id enim facit ad diluendum exceptionem Pontificiorum, quam loco Act. 15. v. 10. & 11. opponunt: Ibidem quæstionem, inquentes, fuisse, non de Lege morali, sed tantùm ceremoniali, & quæstionis occasionem*

B

nem

nem, quam dederant ceremoniæ, v. 1. cum ipsâ quæstione de viâ salutis, v. 6. & 11. confundentes.

PARTES & DISPOSITIO. Balduinus in Prolegomenis p. 28. juxta generalia illa hominis requisita, *Rectè credere & benè vivere*, dispescit hanc Epistolam in duas partes generales: Quarum 1. **PRIMA** sit *δογματικὴ* Dogmatica, complectens præcipua Doctrinæ Christianæ capita, ab initio usque ad cap. 12. 21. **SECUNDA**: *παρανετικὴ* Parænetica, continens præcepta morum, & officia hominis Christiani, usque ad cap. 16. Deinde celebris etiam est *Divisio* hujus Epistolæ, secundum tres virtutes Theologicas: *Fidem, Spem, & Charitatem*. Quæ Brentii est & aliorum, qui eum sequuntur. Et hæc Divisio Epistolæ huic admodum quadrat; atque fundata est in dicto Michæ. cap. 5. v. 9. *Indicatum est Tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid IEOVA requirat à te: Nimirum facere iudicium; Lutherus GOTTES Wort halten; diligere misericordiam, & modestum ambulare coram DEO tuo.* Quibus verbis Fidem, Spem & Charitatem contineri, ad marginem bene annotavit B. Lutherus. **FIDES** enim docetur in primis Capitibus, usque ad quintum. Estq; illius summa c. 3. v. 28. *Arbitramur, justificari hominem per fidem, sine operibus Legis.* **SPES** autem, & ejus commentarius, continetur in cap. 5. 6. & seqq. ad 12. Estque ejus principalis propositio, cap. 5. v. 5. *Spem non confundere; vel ut loquitur, cap. 8. v. 28. Spem servari.* Vel ut iterum c. 1. v. 1. 2. dicit: *Justificati pacem habemus cum Deo per Christum, & gloriamur in spe gloria filiorum Dei.* Hanc igitur Spei anchoram non posse labefactari aut frangi 1. nec tribulationibus: nec 2. peccatis piorum aut illorum reliquiis: 3. nec maledictione Legis. cap. 5. 6. 7. 8. 4. nec particularitate Electionis; cum culpâ hominum particularis sit, propterea, quod quidam justitiam fidei acceptent, plurimi autem spernant, capitibus, 11. 9. 10. docet. **CHARITAS** autem & ejus commentarius, exponitur à cap. 12. usque ad finem; & cap. 16. tandem Epistolam totam concludit Epilogus. Rectè itaque secundum hanc celebratissimam Divisionem cum Mylio dicas, comment. In hanc Epistolam

lam

lam.p.4. *Partes* hujus Epistolæ Tres esse : *Primam*, in quâ investigentur CAUSÆ justificationis. *Secundam*, quæ explicet justificationis fructus. *Tertiam*, quæ exponat justificatorum officia. Aut cum Hunnio Eandem Partes dicas habere quatuor : Quarum Prima sit de Justificatione Hominis coram DEO. Secunda de hujus justitiæ fidei effectis, nempe pace conscientiæ, sanctificatione, liberatione à legis maledictione, & spe in adversis. Tertia de reprobatione Judæorum unâ cum causis ejus & modo. Quarta de officiis Christianorum. Quæ Divisio Hunniana simplex itidem est, apta & plana. Similis autem eidem censenda quoque est ista, quam non prætereundam putamus. Commodè videlicet Epistolâ hanc dividi posse juxta tres partes conversionis sive pœnitentiæ; Contritionem, nempe, Fidem & Novam Obedientiam. Contritio exponitur, cap. 1. & 2. & usque ad medium tertii. FIDES cap. 3. & 4. usque ad 12. Nova Obedientia autem sive Novitas vitæ, tanquam consequens fidei, in reliquis Capitibus usque ad finem. Rectè igitur part. 2. Clavis, Tract. 5. p. 281. Flacius : *Methodi fuit hic Apostolus solertissimus artifex, sedulusque sectator. Cujus artis primum caput est, ut secundum ejus proprium præceptum, doctrina recte secetur ac proponatur : quod ipse summa diligentia facit, ad imitationem sui unici Præceptoris Christi, nempe ut primum proponat contritionem aut legis doctrinam : Deinde Evangelii aut gratiæ, fides tua salvum te fecit : ac postremo novæ obedientiæ, seu Vade & noli amplius peccare. Quæ sanè diligentissimè in hac Epistolâ sunt observata. Præferimus autem inter has divisiones Hunnianam. (Aliæ divisiones videantur apud alios. Nobis DIVISIO illa secundum tres virtutes quidem placet ; præferimus tamen & isti Divisionem Hunnianam ! & eidem hanc secundum tres partes pœnitentiæ censemus parem esse.)*

PHRASEOLOGIA. Hæc apud Paulum nonnihil peculiaris, & propterea, sicut B. Lutherus monuit, sedulo observanda est Ejus Lingua : Ad hanc fideliter est attendendum, & juxta monitum B. Lutheri, sedulo observanda lingua Pauli. Occurrunt enim hic diligenter observandæ 1. Voces, e.g. *Natura, Gratia,*

Opus, Fides, Justificare, Imputare, Remittere, Lex, Vita, Mors, Cor, Spiritus, Litera, Homo interior, Exterior, Promissio, Merces, Donum, Meritum, Peccatum, Concupiscentia, Corpus peccati, Electio, Induratio, &c. Occurrunt 2. Phrases: *Justificari fide, imputare ad salutem, operari iram, vivere justitia, peccato mori, Christum induere, cum Christo crucifigi, & quæ sunt aliæ.* Occurrunt 3. Sententiæ. *Factores legis justificabuntur, c. 2. Lex auget peccatum, c. 5. Lex iram operatur, c. 5. Lex est Spiritualis, c. 7.* Ad quæ singula attentè est respiciendum. Uti de hisce vocibus, phrasibus & sententiis videri potest Mylius comment. in hanc Epistolam p. 6. ac Flacius part. 2. Clavis, Tract. 5. p. 290. sub titulo. *Stylus Paulinus.*

CAPUT. I.

PARTES hujus Capitis primi constitui possunt IV. I. *Ἐπιγραφή* sive *Inscriptio*, quæ comprehenditur prioribus versiculis septem II. *Exordium*, constans sequentibus versiculis octo. III. *Propositio*; quæ est, Salutem non acquiri, nisi per fidem in Christum, & continetur versiculo 16. & 17. IV. *Demonstratio*, membri prioris: Justitiam & Salutem non acquiri ex operibus Legis Naturæ. Incipit enim in hac quartâ capitis parte justitiam operum ipugnare, ostendendo, quòd omnes homines peccato sint obnoxii, & accusare impietate & injustitiâ gentilium. Atq; sic caput hoc nobiscû dividunt quoq; Mylius & Rungius. Alii autem, ut Balduinus & Gerhardus, ternario partium numero sunt contenti, ac Propositionem connectunt cum Exordio. Sed nobis Propositio tanquam Pars primariâ prætereunda, aut connectenda cum Exordio visa non fuit. Pulchre autem de hisce partibus Flacius, loco proxime citato p. 291. *Ad Romanos Paulus primum habet in subscriptione & salutatione artificiosissimam insinuationem, mox artificiosissimum Exordium, à quo latenter & inobservatus delabitur ad propositionem. In eo, Exordio ac Propositione, quia commendaverat gratuitam Evangelii justitiam, quæ omnibus offeratur, veluti per Antithesin delabitur ad prædicationem contritionis per legis prædicationem. Quasi dicat: Non sine causâ magnifacio Evangelium,*
20

vobisque id prædicare cupio; quia in eo promta, parataque, iustitia ac salus omnibus offertur, quâ omnes extremè indigent. Gentiles quia & Judæi sunt peccatores: ut mox usque ad dimidium tertii capituli proluxe ostendit, dum primum gentes quidem ex crassis eorum peccatis, Judæos verò ex internâ hypocrisis coarguit, qui licet externâ disciplinâ aliquo modo fulgeant, intus tamen in corde sunt spurcissimi. Convictis utrisque iniustitiæ, initio tertii capituli indicat ipsum fontem Injustitiæ totius generis humani, nempe originale peccatum. Divisio igitur ista aperta est & perspicua.

PARS PRIMA.

Complectens

Ἐπιγραφήν **five Inscriptionem.**

Ἐπιγραφή & Summa & dispositio.

Continetur hæc in prioribus versiculis septem, & comprehendit I. Essentialia. II. Intermixta. Essentialia Inscriptionis sunt I. Subscriptio, v. 1. II. Inscriptio, v. 7. & quidem in parte versus prioris. III. Salutatio; contenta in parte versiculi septimi posterioris. Intermixta sunt. I. Commendatio Evangelii, v. 2. II. Descriptio filii DEI, v. 3. & 4. III. Commendatio sui Apostolatus. IV. Testificatio Fidelitatis. Quorum de numero estis & vos, vocati Jesu Christi, v. 6. Ac nihil aliud in hac Inscriptione, ut & sequenti Exordio Paulus agit, quàm ut & se & simul causam quam agit, Romanis commendat, ac animis illorum tacitus illabatur ac sese insinuet; eorumque ad quos scribit, benevolentiam captet.

TEXTUS EXPOSITIO.

Versic. I.) Continet subscriptionem, & exponit. I. Nomen auctoris. 2. Conditionem: quod sit servus Jesu Christi. 3. Vocationem: vocatus ad munus Apostolicum. 4. Vocationis finem, segregatus in Evangelium DEI.

Ἐλθὼν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἢ five servum Jesu Christi se vocat, I. ratione

B 3

CON-

conditionis, quia à Christo servatus, ex captivitate Satanae liberatus, & ex persecutore præco veritatis est effectus. 2. ratione ministerii; quia ei in prædicando Evangelio sedulam præstitit operam. κλητὸν, sive vocatum se dicit; non κλημιμένον. Est ergo κλητός, non participium, sed nomen; ab Estio in h. l. redditum *vocatus*, sive *vocatus*; quâ voce posteriori B. Gerh. quoque in hunc locum istud expresit. Opponit igitur hanc suam vocationis commemorationem calumniis & vociferationibus Pseudo Apostolorum, qui ejus auctoritatem minuere solebant ex eo, quod non ut reliqui Apostoli, vocatus esset à Christo in terris versante. His igitur tacitè regerit: se non usurpasse sibi munus aut nomen Apostoli propriâ Auctoritate; sed ad id vocatum fuisse à Christo, & quidem æquè vocatione immediatâ, ut cæteri, uti vocatio ejus Act. 9. v. 11. & 12. describitur. Unde & Gal. 1. v. 1. dicit, *se esse Apostolum non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum.* Auctoritatem igitur suam hoc nomine vocationis contra Pseudo-Apostolos & illorum doctrinam tuetur. Significat enim, sicuti scribit rectè in h. l. VVolfg. Musculus, se non fuisse per occasionem, & fortuitò ad Evangelicum Apostolatam vocatum; sed singulari DEI consilio ad id muneris inde ab utero materno selectum ac destinatum, non minùs, quàm reliquos DEI Ministros, Prophetas & Apostolos. Ἀπόστολον se prædicat, quod generaliter significat *Legatum*, sive *missum*, ut accipitur Joh. 13. v. 16. *Non est servus major Domino suo, nec Apostolus major est illo, qui misit ipsum.* In specie, *Legatum à Christo Domino missum, ad prædicandum Evangelium.* Unde hoc nomine insigniti fuerunt non quivis Doctores aut discipuli; sed illi duodecim, quos Dominus ex reliquis discipulis elegerat, quos & Apostolos nominavit, dicente Lucâ, cap. 6. v. 12. Matthias item, Paulus, Barnabas, & quidâ alii, ut in h. l. Estius docet. Ἀφορισμένον autem, *Segregatum se*, præterea dicit, id est, peculiariter selectum. Est enim ἀφορίζειν cum judicio & deditâ operâ aliquid segregare, secernere ac separare; Unde ἀφορισμοὶ sunt, cum judicio selecti & conscripti canones. Quia 1. Gal. 1. v. 15. dicit:

Deus

Deut segregaverat me a populo meo, ab utero matris meae, & vocavit per gratiam suam ut revelaret Filium suum per me. 2. Quia Act. 9. v. 15. Dominus de eo dicebat ad Ananiam: *Vade, quoniam organum electum est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus, ac filiis Israel.* 3. Quia Act. 13 v. 2. Spiritus Domini dicebat: *Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumsi eos.* Respexit igitur hac voce, ad separationem in utero, ad separationem in conversione, & ad separationem in opere five officio. Quare & addit, ad quidnam segregatus fuerit, nempe ad Evangelium DEI, ut id predicaret.

VERSICULUS SECUNDUS.

Complectitur hic versiculus descriptionem Evangelii. Ne enim Evangelium illud, ad quod predicandum se segregatum dixerat, flocci penderetur, multis nominibus id extollit & dignitatem ejus ostendit: 1. a suavi Nomine, dum vocat *Evangelium*, hoc est, laetum nuncium. 2. ab auctore, dum vocat *Evangelium DEI*. 3. ab antiquitate, dum dicit *προεπηγγελαιο*, quod olim promissum & praenunciatum est, videlicet statim in Paradiso. Genes. 3. v. 15. 4. ab harmonia cum Prophetis, dum dicit: *Quod ante promiserat per Prophetas suos.* Fundatum est igitur Evangelium in testimoniis *αξιοπιστοις Prophetarum*, qui locuti sunt a Spiritu Sancto impulsus. 2. Petr. 1. v. 21. 5. ab analogia & auctoritate Scripturarum. Dicit enim id comprehensum esse *εν γραφαις αγιαις. In Scripturis Sanctis.* 6. Ab objecto; dum dicit, id esse *de Filio DEI*. Non igitur rigidam Moysi tabellam vel faciem; non somnia humana; non doctrinam novam; Prophetis & Scripturis sanctis ignoratam: Sed dulce Evangelium DEI, doctrinam perantiquam, in Prophetis & Scripturis Sanctis comprehensam, & laetum nuncium de Filio DEI se afferre & predicare his Verbis inculcat. Quare & Act. 26. v. 22. se testificari dicit tum magno, tum parvo, nihil aliud dicens, quam ea, quae Prophetae dixerant futura esse & Moses; Vox igitur *προεπηγγελαιο*, non solum pulchre respon-

det

det voci Evangelii; sed etiam antiquitatem eius, & quod jam inde à Paradiso usque prædicatum fuerit, subindicat. Est enim unum & idem Evangelium omnium temporum, per quod salutem consecuti sunt, quicumque crediderunt, Actor. 10. v. 43.

VERSICULUS TERTIUS

ET QUARTUS,

Sequitur nunc in his versiculis descriptio SALVATORIS nostri luculentissima. Ac quidem 1. v. 3. exponitur vera Ejusdē Humanitas, dum dicitur: *De Filio suo, qui genitus ex semine David, secundum carnem.* His verbis vera CHRISTI Humanitas per triplicem exprimitur notam. I. Prima est, quod dicitur γενόμενος, factus ex semine David. Nam, quod Valla & Erasmus hanc vocem reddiderunt; *genitus*: id non quadrat: quoniam gignere est Patris: Salvator autem noster secundum humanam Naturam Patrem non habuit. Nec satis convenit: *Natus*: Nam Paulus hic vult innuere, Filium DEI aliquando esse cæpisse, quod antea non erat: natus autem etiam est & dicitur ab æterno, cum nunquam esse inciperet, ut rectè in h. l. observavit Balduinus. Rectissimè igitur γενόμενος redditur per *Factus*. Quoniam enim non ex communi nativitate, more aliorum hominū; sed ex opificio Spiritūs Sancti, ut verus homo ortum suum habuit: Ideo quoque Gal. 4. v. 4. non simpliciter natus, sed γενόμενος ἐκ γυναικὸς factus ex muliere, dicitur. II. Secunda nota est, quod factus dicitur ἐκ σπέρματος Δαβὶδ, ex semine David. Erat enim Maria oriunda ex Davidis prosapiâ. Et propterea his verbis Apostolus simul insinuat, Christum, quem prædicaret, eum ipsum esse, quem Prophetiæ Scripturæ de semine Davidis proditum jam olim promisissent, uti non male observavit Musculus. Et quia Mater Domini erat Davidis filia: ideo Apostolus eum de semine Davidis factum esse dicit. Quia autem ex solâ factus est matre sive muliere; ideo quoque non semen viri, sed *semen mulieris* appellatur, Genes. 3. v. 15. Ac propterea impium fuit & falsissimum delirium Valentini, *car-*
nem

nem coelestem in Christo confingentis. Additur enim III. vera Humanitatis Nota Tertia, dum vox illi tribuitur, quæ neminem de veritate humanæ Naturæ dubitare permittit: Et quidem adhibetur particula *κατά*, & *κατά σάρκα*; secundum carnem, dicitur, ad denotandum, juxta quam Naturam dicatur ex semine David factus, nempe secundum Humanam. ac ita ostenditur simul, præter hanc aliam etiam esse generationem, quâ à Patre ab æterno idem sit genitus. Gerh. non est *χωριστὸν*, nec *διαπεριστὸν* sed *διοεριστὸν* ac *διακρίστὸν*. Quod autem Estius p. 5. in h. l. commentatur: *Synecdochicè per carnem humana Natura significata est: ideo fortasse, quod non anima, sed sola caro sit ex traduce: id suo loco relinquimus.*

II. Exponitur in versu 4. Vera Ejusdem Divinitas, dum dicit: *Qui declaratus fuit Filius DEI, secundum Spiritum Sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi nostri.* In Græco est *διοθεός*: Quod vulgatus Interpres reddidit: *Prædestinatus.* Et versionem hanc defendit Bellarm. lib. 2. de V. D. c. 14. Quoniam autem huic versioni meritò opponitur: Quomodo Christus dici possit prædestinatus Filius DEI, cum fuerit filius DEI ab æterno, ad id autem, quod ab æterno fuit, nulla sit prædestinatio, sed ad sola futura. ideo Estius ex suis Theologis in 3. sentent. distinct. 7. respondet: *eos rectè docere, Christum dici posse prædestinatum filium DEI, quatenus ab æterno decretum ac præordinatum sit à DEO, ut in tempore hic homo, qui est Christus, esset filius DEI.* Et ex Thomâ: *intelligi debere, prædestinatum esse, secundum quod factus sit ex semine David secundum carnem.* Sed idem postea probat sententiam Græcorum, quam veram ac Germanam esse agnoscit, & etiam nostra est. Dicit I. Vocabulum *διοθεός* non significare *prædestinatum*, aut *prædefinitum*, sed simpliciter *definitum*, *determinatum*, *decretum*, item *declaratum*, seu *confirmatum*. Ut sit sensus: Idem ille qui factus est ex semine David secundum carnem, quem proinde constat, verum hominem fuisse; etiam declaratus est, & certissimis argumentis comprobatus esse filius DEI. Quæ est interpretatio Chrysostomi & aliorum

rum Interpretū Græcorū qui eū sequuntur. Reverā ergo *θεῖος υἱός* idem quod *θεοῦ υἱός*, manifestatus, ostensus, Act. 2. v. 22. Nam nos dicimur fieri filii Dei, Joh. 1. v. 12. Christus autem Filius DEI non factus, sed declaratus dicitur, ut rectè p. 10. super hunc locum scripsit Mylius. Quare citato loco etiam Estius Vulgatum interpretem tandem mittit, & dicit: *Christum prædestinatum esse Filium DEI, certè in Scripturis alibi non legitur, & hanc Græcorum explanationem à duabus exceptionibus vindicat, eamq; satis expeditam, & facilem esse, & probè quadrare instituto Pauli dicit, ut apud eundem p. 5. & 6. poterit videri. Subjungit autem istos ἰερομύησις, sive demonstrationes, documenta & argumenta Paulus, per quæ sit demonstratus, & inter homines declaratus Filius DEI: Quorum 1. primus est δύναμις sive potentia miraculorum. 2. Secundus πνεῦμα ἁγίων; Spiritus sanctitatis, sive sanctus, quem Christus post resurrectionem primum Apostolis, & deinde aliis etiam credentibus misit visibiliter, ac etiamnum invisibiliter mittit. Qui Spiritus sanctitatis & essentialiter & effectivè vocatur. 3. Tertius est, ἀνάστασις νεκρῶν, Resurrectio mortuorum: quia propriā virtute ex mortuis resurrexit, sicut prædixerat. Hominibus itaq; potenter declaratus & demonstratus est iste, qui factus est ex femine David secundum carnem, quod sit Filius etiam DEI: 1. per miracula. 2. per Spiritus Sancti visibilem effusionem & invisibilem missionem in corda fidelium. & tandem 3. per gloriosam à mortuis resurrectionem. Exponitur verò præterea in hoc v. 4. quoque III. Christi officium nudis nominibus indigitatum. Nam ut rectè super hunc locum Hunnius: *IESUM* vocat, quod populum suum liberavit à peccatis suis: Christum quia plenitudine Spiritus Sancti, sine mensurā unctus est ad officium illud Regium & Sacerdotale: Dominum nostrum, quia ipse nos certo ὑπὲρ redemptionis, nempe suo sanguine sibi acquisivit. Quæ omnia spectant ad Christi officium.*

VERSICULUS

QUINTUS.

In hoc commendat suum Apostolatam, Per quem, inquiens,

quiens, accepimus gratiam & Apostolatum, ad obedientiam fide
in omnibus gentibus, super ipsius nomine. Ostendit ergo I. Cau-
sam Efficientem. Nam supra v. 1. se ipsum appellavit *vocatum*
Apostolum. Nunc igitur auctorem vocationis exponit, dicens,
se Apostolatum accepisse *non ab hominibus, neque per hominem,*
sed per Jesum CHRISTUM, Gal. 1. v. 1. h. e. Christo vocante ac
mandante. Ac quod dicit *ἐλάβομεν accepimus*, id vel in singula-
ri accipiendum est, ut idem sit, quod *accepit*, ut arbitratur Esti-
us: aut dicendum est, Paulum ita in tali officio loqui, quod
sibi ipsum cum reliquis Apostolis commune sit, ut locus paral-
lus 1. Cor. 4. v. 9. videtur subinnuere. Ut propterea non sit
audiendus Smaltzius, qui contra Schoppium p. 6. dicit esse
stylum domini seu majestaticum, & inde argumentum ex nume-
ro plurali de DEO usurpato petitum conatur infringere: Cum,
si vel maxime Paulus de se in numero Plurali loquatur, potius
verum sit, quod in hunc locum Estius: *Eum sic loqui modestie*
causa, quoniam species arrogantia sit, rem magnam sibi singulariter
ascribere: vel quod decor sermonis id postulet. II. Beneficii ap-
pellationem; dum dicit: *Accepimus Gratiam & Apostolatum*. Ubi
Estius quidem & alii plerique Interpretes particulam *καὶ* ex-
positivè accipiunt. Ut *Gratiam & Apostolatum*, sit; *Gratiam*
Apostolatus: & Paulus innuat, se ex gratuita misericordia,
Collegio Apostolorum esse ascitum, 1. Cor. 15. v. 10. Et sicut
Ephes. 3. v. 8. dicat: *Mihi minimo omnium Sanctorum data est*
Gratia haec, ut inter Gentes evangelizem impervestigabiles divitias
CHRISTI. Sed si rem altius consideremus, copulativa erit par-
ticula *καὶ*, non expositiva. Atque per *χάρις* sive *Gratiam* in-
telligenda fuerit peculiaris illa Gratia & misericordia DEI,
quam consecutus est, cum ex blasphemus & persecutor fieret
confessor CHRISTI, & ad Ejusdem fidem converteretur.
Videatur 1. Tim. 1. v. 13. & 16. Per *ἀποστολήν* autem sive Apostola-
tum intelligendū erit Munus ac dignitas Apostolica, sublime
officium, ad quod immediate vocatus, & donis adeo necessa-
rius à DEO instructus fuerit, Rom. 12. v. 3. cap. 10. v. 15.
Utrumque quidem, donum DEI gratuitum; sed diver-
sum

sum: cum distinguenda sit gratia conversionis à gratia vocationis ad Apostolatam. Est autem Apostolatus in eo distinctus ab Episcopatu & Pastoratu, aliisque officiis Ecclesiasticis: quòd solus Apostolatus sit Oecumenicus, sive universalis; reliqua autem officia Ecclesiastica omnia, topica sint, & certas mansionum sedes habeant. Contradictio igitur in adjecto est, quòd Papa se jactat Episcopum Oecumenicum. Nam si Episcopus est, non est Oecumenicus, & si Oecumenicus est, non est Episcopus. III. Finem Intermedium. Ideo se accepisse dicit gratiam & Apostolatam à Christo: *ut gentes obediant fidei; vel ad obedientiam fidei in gentibus.* Id est: Ut gentes ubique recipiant Evangelii doctrinam, & credant Evangelio, ac ita amplectantur fidem Christi. Nam quòd conversionem ad Christum, & amplexum Evangelii vocat *ὑπακοήν*, obedientiam fidei: per illud pulcherrimè significat, fidem quidem in intellectu esse, ratione cognitionis & notitiæ: sed ad eandem suscipiendam quam maximè necessariam esse obedientiam, & humilem submissionem voluntatis, quæ intellectus assensum, propter auctoritatem revelantis sive dicentis imperet, & in suscepto Verbo firmiter postea confidat. Atque hoc Paulus vocat, 2. Cor. 10. v. 5. *captivam ducere omnem cogitationem sub obedientiam Christi.* Qui motus voluntatis & Intellectus aliunde non est, quàm ab efficaciâ Spiritus Sancti, verbo DEI & Evangelio prædicato perpetuò & inseparabiliter adhærente. Simul verò innuitur, per vocabulum *ὑπακοήν*, Præconium Evangelii non esse datum hominibus ad nudam *ἀκοήν* sive auditum, sed *ὑπακοήν*, id est, amplexum, & obedientiam; sive ut illud amplectantur fide, & fidem suam per opera charitatis demonstrant, ut p. 28. in h. l. observavit Weinrichius. IV. Tandem ostendit finem suæ vocationis ultimum, dum dicit, *ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, super nomine ipsius.* Quæ verba quidam nonnulli explicant objective, ut sit descriptio fidei, sive doctrinæ: de quonam illa sit, nempe de Christo Jesu: Sicut & Stapulensis interpretatur. *Accepimus Apostolatam de nomine Jesu, sc. prædicando inter gentes.* Quidam de causâ Efficiente inter-
preta-

Pretantur, ut sensus sit: Accepi legationem hanc obeundam nomine & vice Christi, cuius sum Apostolus. Quam expositionem sequuntur Cornelius à Lapide & Estius, & ad locum parallelum provocant, 2 Cor. 6. v. 27. *ἐπὶ ᾧ ἰσχυρῶς*; nomine Christi Legatione fungimur. Sed si rem ad utrumque oculum examina- veris, apparebit; hæc verba ad Finem Apostolatus pertinere. Quod igitur dicit & protestatur Estius, p. 6. Hæc pars omnino referenda est ad Apostolatum: id ipsum de causâ finali Apo- stolatus ultimâ libenter concedimus. Quamvis, quod ipsam rem concernit, sententia Estii aliàs nihil contineat incom- modi.

VERSICULUS

SEXTUS

Testificationem continet fidelitatis. Inquit enim: *in quibus estis & vos, vocati Jesu Christi.* In versu præcedenti dixit: *Se accepisse Apostolatum, ut obediatur fidei in omnibus genti- bus.* In illorum numero dicit etiam esse Romanos. Quod igitur eos, qui tamen gentium præcipui cæterarumque ferè omnium Domini erant, cæteris gentibus æquiparat, atq; etiam reliquis in indigentia & acceptatione Evangelii conjungit, adeoque cum reliquis uno discrimine habet; id *παρρησίας* & ingenuitatis est Apostolicæ. Quod autem censuram statim non nihil mitigat, & eos *vocatos Jesu Christi* appellat, id amoris & mansuetudinis est Apostolicæ: Simul tamen amicam ad- monitionem & tacitam demonstrationem continet; magis eos- dem de istâ sua vocatione, quàm de Imperio Orbis sibi gratu- lari debere. Summum enim bonum, & summus honor est, fidelem esse & vocatum Jesu Christi.

VERSICULUS

SEPTIMUS.

Complectitur hic versiculus. I. Inscriptionem: *Omnibus, qui Romæ sunt, dilectis DEI, vocatis Sanctis.* II. Salutationem: *Gratia vobis & Pax à DEO Patre nostro, & Domino JESU CHRISTO.* Sensus est: Amicis DEI, ac gratuita vocationis ejus bene-

beneficio sanctis. Ut ita exprimaturs causa vocationis, Dei nempe dilectio. Unde & vocatio nostra dicitur *sancta*, 2. Tim. I. v. 9. Per *χάρις*, sive gratiam intelligitur fons ille omnium Beneficiorum, favor DEI gratuitus, quo nos in Christo complectitur & salvat: Unde & Judas in suâ Epistolâ v. 2. vocabulum *χάρις*, exponit per *ελεος*. Per *Pacem*; Pax in DEO & cum DEO intelligitur, Rom. 3. v. 1. Ea enim Bona hic sunt intelligenda, quæ ad vitam conducunt æternam; rectè p. 7. scripsit Eitius. Atque hæc bona precatur à DEO Patre nostro, & Domino nostro Jesu Christo, cum omne donum bonum sit à Deo, Jacob. I. v. 17.

QUAESTIO I. Quando Apostolus acceperit nomen Pauli?

Quamvis non malè Musculus scribat in Comment. ad v. 1. De nomine Pauli arbitror haud esse querendum curiosius, quomodo & quando usurpari ceptum sit ab Apostolo, cum constet, eum in Judaismo vocatum fuisse Saulum. Illud potiùs dignum est, quod admiremur, quòd ex Saulo, veri Davidis Christi persecutore, factus est tam subito Paulus, ejusdem servus & Apostolus, quem paulò ante tam fuerat acerbè persecutus: sententias tamen nonnullas hoc non obstante nos hic recensemus, præsertim, cum latè de istâ quæstione etiã egerit Salmeron Lib. 2. Disp. 2. in hanc Epistolam, p. 239. I. Igitur Orig. Lib. 1. in Epist. ad Rom part. 2. August. in c. 17. Genes. & alii statuunt; Paulum ab ipsâ statim circumcissione fuisse binominem. Et Saulum fuisse appellatum, quia Judæus fuerit, ex tribu Benjamin oriundus; in quâ propter primum Israëlitarum Regem hinc electum, nomen istud admodum charum & frequens fuerit. Paulum autem; quia Tharsensis fuerit: & civis Romanus, apud quos nomen Pauli maximè fuisset illustre: Unde & Act. 13. v. 9. utrumque nomen conjungitur, & dicitur: Saulus, qui & Paulus, repletus Spiritu Sancto. Et

Et hanc sententiam sequitur Erasmus, eamque verisimiliorem iudicat in Prolegomenis Balduinus. Sed obstat: quod nusquam ante conversionem *Paulus* vocitetur, sed semper *Saulus*. Sicut & eo nomine eum appellat Christus in conversione, Act. 9. v. 4. II. Damalus ergo eum dicit, fuisse ita appellatum in baptismo. III. Post conversionem hoc nomen ipsi fuisse inditum, certum est; quo tempore autem hoc factum fuerit, incertum. Nam statim in conversione nomen ipsi fuisse immutatum, statuit Chrysostomus. Anno autem factum hoc fuisse decimo, & quidem cum ex Ecclesiâ Antiochenâ peculiariter segregaretur ad docendum Evangelium inter gentes, Act. 13. v. 2. sentit Ambrosius Catharinus, & probabilius hoc esse, affirmat loco citato etiam atque sequitur Salmeron; addens, hoc inde patere, quod nunquam postea iterum appelletur *Saulus*. Et tandem à converso Sergio Paulo, Proconsule, Act. 13. v. 7. eum hoc nomen, tanquam signum victoriæ accepisse; adeoque anno conversionis undecimo ita fuisse appellatum, auctor est lib. 8. Confess. cap. 4. Augustinus, & in Epistolam ad Philemonem Hieronymus. De tempore igitur in specie, quando sic appellari cœperit, nihil certi possumus affirmare. Id tamen existimamus firmum esse, post conversionem demum eum sic appellatum fuisse.

II.

Quare versiculo 3. addatur

κατὰ σάρκα?

Dicitur enim: *Filius Dei genitus fuit ex semine David secundum carnem*. Respondendum est, hoc fieri propter distinctionem Naturarum, ut ostendatur, juxta quam Naturam unumquodque de personâ prædicetur. Unde in primo genere communicationis Idiomatum, quo utriusque Naturæ propria prædicantur de Christi personâ, ejusmodi particula distinctivæ locum habent; & monstrant Naturam, cui proprietates illa, quæ de personâ prædicatur, sit essentialis. Sic enim etiam Christus dicitur *mortificatus carne* 1. Petr. 3. v. 18. *passus carne* 1. Petr.

I. Petr. 4. v. 1. *Esse ex lumbis Davidis secundum carnem*, Act. 2. v. 39. *Esse ex Patribus secundum carnem*, Rom 9. v. 5. Est itaque in Personâ Christi realis κοινωνία naturarum & idiomatum, orta ex κοινωνία ὑποστάσεως λόγου, secundum quam rectè dici potest: *Filius Dei natus est ex semine David secundum carnem*, ut in h. l. p. 10. scribit Rungius. Et fundamentum primi generis communicationis idiomatum, est personæ Unitas; sive quod utriusque Naturæ una sit eademque hypostasis.

III.

An duplex detur vocatio, Externa,
& Interna?

ANSAM quæstionis suppeditat Estius, qui comment. in h. l. p. 6. ad v. 6. ita scribit: *Vocati Iesu Christi. Intelligitur vocatio non externa, & communis illa, quæ in multis frustratur, de quâ dicitur in Evangelio, Matth. 20. Multi vocati: sed quæ efficaciter homines vocantur, ad fidem, sanctitatem salutem quæ est vocatio secundum propositum seu prædestinationem divinam: quomodo vocem hanc & in parte sequente, & cap. 8. hujus Epistolæ, & passim alibi Paulus usurpat.* Sed hic discursus Estii admittendus non est, propterea quòd Calvinismum sapiat. Sic enim planè similiter scribit de Natura DEI, Lib. 3. q. 4. Zanchius: *Cum dico, omnes homines vocari, intelligo Externam vocationem; ceterum internam, quæ sit per Spiritum Sanctum, & ideo efficaci, solos electos vocari ajo.* Sed contra: ut universalis est Patris miseratio, universalis est Christi satisfactio: sic etiam universalis est Spiritus Sancti vocatio, uti ex locis Scripturæ Ps. 19. v. 5. Es. 55. v. 1. Matth. 11. v. 28. Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. Luc. 24. v. 47. Act. 1. v. 8. Act. 17. v. 30. *Deus annunciat πᾶσι πανταχῶς, omnibus ubique hominibus, ut respiciant; & aliis patet. Quod autem non omnes Evangelio obediunt, culpa est penes homines. Notari igitur potest I. Quod Vocatio ex parte Dei sit ejusdem virtutis & efficaciam erga omnes homines; sive quòd Verbum Dei semper habeat adjunctam parem virtutem, efficaciam, & vim convertendi atque salvandi homines; Quod autem non omnes actu convertuntur, culpa*

culpa quaerenda est in Satanâ & in hominibus. II. Quod vocati possint in quatuor distribui classes. Quidam enim vocantur, sed vocationem contemnunt, & hi appellantur κηκλημένοι, Matth. 22. v. 3. Quidam vocati ad Ecclesiam veniunt, & in eâ sunt; sed animo hypocritico, & hi tam κηκλημένοι vocantur, Hebr. 9. v. 15. quàm κλητοί, Matth. 20. v. 22. quidam & ad vocationem veniunt, & in Ecclesiâ verè regenerantur & credunt, sed tantû ad tempus, Hebr. 3. v. 14. Et hi tam κηκλημένοι & κλητοί, quàm ad tempus πεισot dicuntur. Quidam autem vocationi obediunt, credunt, & in fide perseverant, & hi κλητοί κατὰ πρῶθεσιν dicuntur. Rom. 8. v. 28. III. Quod vocatio considerari possit 1. vel simpliciter ex parte Dei, & hoc respectu. Deus dicitur omnes vocare ut ex locis istis manifestum est. 2. Conjunctè, ex parte DEI, & hominis vocationem admittentis simul. Et hoc sensu dicit Paulus, Rom. 8. v. 30. Quos præscivit hos vocavit, I. Cor. 1. v. 26. Non multi sapientes sunt vocat. Exinde autem nondum sequitur: Aliam vocationem DEI externam esse, aliam autem internam.

Q. IV.

Quare Apostolus universos Romanos,
ad quos scribebat, appellet

Sanctos?

Inquit enim: Dilectis Dei, vocatis Sanctis, cum tamen extra controversiam sit, Ecclesiam Romanam labe penitus non caruisse; neque in ea omnes & singulos fuisse Sanctos. Dicendum est Hæc verba esse titulum Ecclesiæ, tam particulari, quàm universali quidem in genere competentem: sed desumptum ab iis, qui vere credunt, fideles & sancti sunt. Competit igitur hoc attributum Ecclesiæ ita, ut denominatio desumpta sit à verè sanctis tãquam præcipuis Ecclesiæ membris. Dum itaque Paulus omnes Romanos, ad quos scribit, vocat sanctos; facit hoc 1. ex charitate Christianâ, quæ de omnibus bene sperat. 2. Respectu eorum, qui verè sancti & fideles erant. Non aliter, ac hodiernum cœtus Ecclesiasticus, Dilectorum & Electorum in Christo Jesu, nomine

nomine insignitur : quamvis multi in ea sint mali & hypocritæ. Nam in Ecclesiâ sunt verè sancti, sanctificati sanguine Christi, & vocati vocatione sanctâ, operamque dantes operibus sanctis, Hebr. 9. v. 4. 2. Tim. 1. v. 9.

OBSERVATIONES.

I. **P**aulus, Servus Jesu Christi, legimus in Epistolæ hujus frontispicio. Potest igitur ex hoste & persecutore, fidelis fieri minister Dei. Sicut de Pauli conversione scitè Augustinus scripsit, Tom. 10. Serm. 1. in Festo Petri & Pauli: *Dum Paulus seiciens querit minuire numerum Christianorum, etiam ipse accessit ad numerum confessorum.*

II. Summa gloria est, servum esse Jesu Christi. Nam rectè Chrysostomus Tom. 1. in cap. 18. Genes. p. 306. *Quanta dignitatis esse putas; quod dicit Abraham puerum suum? quanta affectionis? quanti amoris?* Legit enim ipse Num celabo ab Abraham puero meo. Et Athanas. Tom. 2. p. 245. in Epistolâ ad Eustathium: *6. Fidelissime DEI serve (quo enim digniori te appellem nomine? Eustathi. Sed contra summa miseria est, servum esse Diaboli, peccati, aut mundi. Nam; à quo quis superatus est, huic etiam in servitutum est addictus, 2. Petr. 2. v. 19. & Amen, Amen dico vobis, quod omnis qui facit peccatum, servus est peccati, dicit Salvator, Johan. 8. v. 34.*

III. Candidè & ingenuè egit Paulus, quod in fronte statim Epistolæ nomen suum expresit. Scripta enim Anonyma, & ut eos in h. l. appellat Balduinus, Neministica, olent Spiritum tenebrarum, & meritò Ecclesiæ Dei sunt suspecta.

IV. Ministri Ecclesiæ, non sunt Domini, sed servi. Caveant igitur sibi, ne fiant superbi, in Ecclesia affectent Dominorum, Matth. 23. v. 8.

V. Concionatores confidentes sint & intrepidi; Sicut Paulus hic v. 1. & 5. coram Romanis confidentissime de suo officio & doctrina gloriatur. Videant igitur concionatores, ut Spiritum timiditatis, qui plerumque eos affligit & terrere conatur,

natur , in verâ fide expugnent & eiciant. Recordentur enim 1. Sux vocationis, quæ divina est, & postulat , ut causas Dei agant, & ejus loco loquantur 2. Segregationis suæ ad tale officium. 3. Providentiæ divinæ, secundum quam jam tum decretum est, quibus & quanto cum fructu quisque prædicare debeat. 4. Sux doctrinæ; quæ DEUM habet auctorem; agit de Christo salutis autore & fonte unico; verissima est & innumeris documentis comprobata, & à quâ salus æterna Auditorum dependet. Hæc itaque omnia Concionatori excussim à Spiritu timiditatis animû reddere possunt, ut cathedram intrepidus ascendat. *Quam ob causam commonefacio te, scribit etiam suo Timotheo Paulus, 2. Tim. 1. v. 6. & 7. ut suscites donum DEI, quod est in te, per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus Spiritum timiditatis, sed potentie ac dilectionis & sobrietatis.*

VI. Sanctorum Salutationes sunt piæ & efficaces preces; quæ impetrant salutatis ea bona, quæ ipsis precati fuerunt; & sunt devotæ benedictiones. Matth 10. v. 13.

PARS SECUNDA.

1. SVMMMA ET DISPOSITIO

Complectitur secunda pars hujus Capitis, Exordium; octo sequentibus constans versiculis: & nihil aliud agit in eo Apostolus, quam ut benevolentiam capiat apud Romanos. Quamvis enim multi parû interesse curent, sive benevolis utantur Auditoribus, sive morosis; tamen omnibus modis potius in id incumbendum est, ut Auditorum benevolentia conservetur, ne oleum & opera in docendo perdatur. Captatio enim Benevolentie apud Auditores non est adulatio, sed salutaris preparatio animorum, quò eò promptius audiant docentem, in h. 1. Disp. p. 1. rectè scripsit p. 13. Rungius. Argumenta autem captandæ benevolentie sunt sequentia: 1. Gratiarum actio

D 2

pro

pro fide ipsorum, complectens & pietatem erga DEUM, & singularem illorum fidei commendationem, v. 8. 2. Continua eorum mentio, v. 9. 3. Devota oratio ad Deum, ut possit ad eos venire, v. 10. 4. Desiderium impertiendi eis donum Spirituale v. 2. 5. Mutua confirmatio fidei v. 12. 6. Fructus singularis, quem sæpius futurum inter eos sibi optaverit. 7. Obligatio, quibus eis ut debitor sit devinctus, v. 14. 8. Promittitudo evangelizandi eis, v. 15.

II.

TEXTUS EXPOSITIO.

VERSICULUS

OCTAVUS.

Quod dicit *πρωτον*; *primum quidem gratias ago*: non ordinis, sed attentionis adverbium est, hoc loco idem significans ac in primis, ut sentiunt in locum hunc Balduinus & Gerhardus: Non tamen rejicienda, sed ei conjungenda videtur etiam sententia altera, quam in h. l. sequitur Versiculus. Esse videlicet adverbium ordinis & singulare per id significari a more, quod non quolibet, sed primo Epistolæ loco, pro fide illorum DEO gratias agat. Quod autem dicit: *θεω μου* *Deo meo*, vox est fidei, quam imitatus est Thomas, Joh. 20. v. 28. Quamvis enim Deus communis sit omnium DEUS, mens tamen devota. Eundem & suum Deum gestit appellare propter in dubitatam *πληροφωριαν* fidei.

VERSICULUS IX.

Testis mihi Deus est: inquit. In Græco habetur: *Testis meus Deus est*. Quod movit Cajetanum, ut falso statueret, non juramentum & invocationem, sed narrationem in his verbis contineri. Jurat autem Paulus I. Quia secundum Chrysostomum; ignotus de animi sui affectione loquebatur apud ignotos. Opus igitur erat testimonio divino, cum non valuerit hic humanum. Loquitur enim de re, quæ sita est in cordis

dis penetralibus, adeoque & intestata. Proinde cunctorum eorum cognitorem Deum advocat in testem. 2. Quia animus eius præ amore & studio totus quasi ardebat. Et 3. quia nove- rat, ad stabiliendam fidem & auctoritatem prædicationis suæ plurimum conferre posse, si Romanis de Ejus piâ sollicitudine certo constaret. Unde etiam statim addit: *Cui servo Spiritus meo in Evangelio Filii ipsius*: ut juramentum suum à levi- tatis suspitione vindicaret, & ostenderet, se non jurasse per Deum quendam secundum $\chi\acute{\alpha}\rho\iota\tau\epsilon\mu$; sicut ita nomen *Dei* tribui- tur Angelis bonis, Ps. 8. v. 6. Ps. 86. v. 8. & malis, 1. Sam. 28. v. 13. et Hominibus, Exod. 22. v. 27. Ps. 82. v. 6. neque per Deum ali- quem secundum $\tau\epsilon\acute{\alpha}\rho\alpha\tau\epsilon\mu$; sicut ita Dei dicuntur Idola, Exod. 22. v. 20. Es. 45. v. 20; sed per Deum verum ac vivum. Quod autem dicit *ἐν πνεύματι, in Spiritu*; opponit id 1. Ceremoniis Judaicis. & vanis illorū persuasionibus & cultui merè externo: 2. Hypocrisi, do- cet cultum suum non esse externum tantum, aut hypocriticum, sed internum & Spiritualem, vera fide, spe & charitate con- stantem interius; & etiam forinsecus per prædicationem E- vangeliæ & frequentem a assiduam Romanorum in suis pre- cibus mentionem se exferentem.

VERSICULUS X.

Ardens suum desiderium videndi Romanos describit in hoc versiculo 1. à precibus assiduus, quibus eo nomine DEUM in- vocet. 2. à formâ itineris; ostendens, prosperum iter id sibi fore, si DEUS & modum & tempus oportunitatem ad eos veniendi sibi concederet. 3. à causâ efficiente; se DEUM orare, ut ejus voluntate hoc possit fieri. 4. à congerie adverbiorum. Dicit enim: Si quomodo tandem, aliquando. ubi prima & ultima Particula innuunt diuturnitatem temporis, quâ diu videlicet eos videre desideraverit: Particula Tandem autem sic est inspersa, ut manifestam habeat molestiam, quæ ex mora sit, notam. Quod autem dicit Apostolus *semper in precibus meis rogans*, id patrocinari videtur Eucharistia, quæ ex hoc & similibus dictis, in- primis illo Christi, Luc. 18. v. 1. ubi *semper orandum esse dicit*; & illo

D 3

illo

illo Apostolo lii. Thesal. 5. v. 17. *Indefinenter orate*, colligebant, Christiano nil nisi orandum esse, & in hoc opere omne salutis punctum constituiebant. De quibus ita Tom. VI. Lib. de hæresibus ad Quod vult Deum, cap. 57. p. 12. Augustinus: *Græcè dicuntur ἐὺχιστα, ab orando sic appellati. Tantum enim orant ut eis, qui hoc de illis audiunt, incredibile videatur, Nam cum Dominus dixerit; oportet semper orare, & non deficere, et Apostolus; sine intermissione orate: quod sanissimè sic accipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi; isti ita nimis hoc faciunt, ut hinc judicentur inter hæreticos nominandi. Et addit: quamvis nonnulli eos dicant de purgatione animarum, nescio quam phantasticam & ridiculam fabulam narrare, porcum scilicet cum porcellis suis videri exire de ore hominis, quando purgatur, & in eum visibili similiter specie, ignem, qui non comburat, intrare. Secundum Augustinum itaq; dicta illa & hoc Paulinum quoq; accipiendum est ita, ut nullo die intermittantur certa orandi tempora. Secundum Estium autem in h. l. is semper orat, qui frequenter & quasi assiduè orat, sive is certa & constituta habeat orandi tempora, sive non. Quam expositionem simpliciorum esse dicit & veriorè; & subdit etiã: *Est igitur hyperbole, quã frequentia cum studio significatur. Perinde ac etiam B. Gerhardus comm. h. l. de assiduitate & devotione mentis credentis & perseverantis, illud SEMPER itidem rectissimè interpretatur; & nos consentientes habet.**

VERSICULUS XI. & XII.

Desidero enim videre vos) Exponit causam finalem, quare ad eos venire desideraverit, nempe ut aliquid impertiatur iis gratiæ spiritualis ad confirmandos eos. Per *Gratiam Spiritualem*, interprete Oecumenio, intelligit τὴν διδασχὴν, ἢ καλίστην: sive augmentum fidei & notitiæ mysteriorum DEI. Et dum dicit μεταδώ, impertiar sive reddam. simul indicat, se non daturum esse quod suum, sed quod aliunde, nempe ex gra-

gratiâ DEI accepisset. Ne verò insolentius de se, & humilius de illis, quâ par sit, sentire videretur: ideo v. 12. addit, *se sperare* *συνπαροκληθῆναι*, simul erigi per fidem ipsorum & suam. Mitigat enim sermonem Apostolus, hâc expositione, & quasi corrigit, quod de confirmandis Romanis dixerat; verbumq; confirmandi, mutat in verbum consolandi; ut rectè in locum hunc scripsit Estius: Videlicet ne aut notitiam Romanorum in rebus fidei videretur deprimere, aut eos, à quibus instituri essent, contemnere. Significat ergo, non minus ab illis beneficium aliquod se sperare accipere, quàm beneficium ipsis conferre cuperet.

VERSICULUS XIII. XIV.
& XV.

NOlo autem vos ignorare fratres) Monent unanimiter Gerhardus, Balduinus Hunnius, Mylius, Estius, Musculus, &c Paulum hic respondere tacitæ objectioni. Poterant enim Romani dicere: *Si adeo desideras nos videre, cur non venis.* Respondet ergo; *se prohibitum fuisse huc usq;*, & causâ rejicit in impedimenta. A quo autem impeditus fuerit aut prohibitus, non exprimitur. Videri alicui posset, eum fuisse impeditum à Satanâ, quo pacto adventum suum ad Thesalonicenses impeditum fuisse scribit, 1. Thes. 2, 18. Sed ea sententia non est verisimilis. Statuimus igitur, eum impeditum fuisse & prohibitum à Spiritu Sancto, qui ipsum sesquiannum Corinthi subsistere iussit, Act. 18. v. 10. 2. *multitudine negotiorum* Evangelii & Ecclesiarum, quibus plantandis & in fide confirmandis erat occupatus. quam rationem manifestè innuit infra cap. 15. v. 22. Est autem *πρόθεσις*, quando dicit *εοθέμι*, majus quid, quàm desiderium, & certum animi conatum significat; qualis illi, Act. 19. v. 21. fuisse legitur. Quod verò dicit: *Ut fructum aliquem haberem inter vos quoq;*, sicut inter reliquas gentes, fructum intelligit Spiritualem, profectum nimirum in fide & agnitione DEI. Sive ut Estius in h. l. commentatur: *Hic fructus est fides & salus populorum.* Et Græcis & Barbaris) Universas gentes, secundum tum temporis in Oriente usitatem divisionem, dividit.

vidit in Græcos & Barbaros; eosdemq; iterum in sapientes & insipientes; ostendens, quod ratione suæ vocationis & Apostolatûs divinitus sibi concrediti, omnium sit debitor, 1. Cor. 9. v. 16. & propterea quantum in se fuerit, promptum se esse, etiam Romanis evangelizandi, ut versus 15. docet.

III. Quæstionum Enodaria.

QUÆRITUR I.

Quomodo intelligendum sit illud v. 8. Fides vestra annuncietur in toto mundo?

I.

Baronius ad annum Christi 58. ex Cypriani epistolâ 57. arbitratur, hoc esse Prophetice dictum, & Paulum predicare, quid in posterum eventurum esset; nempe ut Romanorum fides annuncietur in toto mundo, & Roma constitueretur unica regula credendorum & matrix fidei. Quod pertinet etiam, quod Hieron. lib. 3. contra Ruffinum c. 4. scripsit: *Ad Romanos Apostolico ore laudatos perfidia non habet accessum.* Et quod Pererius disp. 4. in hoc cap. II. epistolæ ad Romanos, & Stapletonus lib. 4. de princip. fid. c. 18. ex hoc loco pugnant, *Ecclesiam Romanam esse Catholicam, quia fides ejus sit Catholica, & in toto Orbe deprædicata.* II. Sed respondemus I. Quando Paulus dicit: *Fides vestra καταγγέλλεται, annuncietur in toto mundo,* & per hæc ipsa verba emphaticè Romanorum fidem commendat, dum non simpliciter annunciarum; sed cum singulari encomio et commendatione eam deprædicari significat: non facit hoc Prophetice; quasi prænunciare velit, quid postea de Romanorum fide in mundo futurum esset; sed Historicè describens statum Ecclesiæ Romanæ, qualis jam in præsentem sit. Nec enim futuro etiam tempore utitur, sed præsentem (*annuncietur* inquit, fides vestra; non *annunciabitur in toto mundo*). Quæcunque Encomia tam hic à Paulo, quam etiã ab Hieronymo & aliis Patribus

Patribus Ecclesie Romanæ tribuuntur, ea non sunt intelligenda de Româ meretrice, sed de Roma tum temporis existente adhuc virgine. Verissimè enim in hodiernâ Rômâ impletum est illud, quod de Hierosolymitanâ Ecclesiâ olim per Esaiam cap. i. v. 21. conquestus est Dominus: *Quomodo facta est meretrice civitas fidelis.* Et si ad illos jam scriberet Apostolus, longè alia diceret, & diversissima ab his, quæ hic habentur legemur, nepe ea ipsa, quæ de mēdaciis, fastu, hypocrisi, avaritiâ, versutia, Simoniâ, tyrannide, fraude, & immunditiâ ipsorum annunciantur in toto mundo, & quæ dudum cum multis suspiriis quæta est Ecclesia sub jugo Pontificis Romani pressa. Si enim, qui seculo tertio scripsit, Cyprianus, jam tum de suo tempore dixit, Epistola hortatoriâ ad populum Thibari consistentem, Edit. Froben. p. 127. *Scire debetis, ac pro certo credere ac tenere, pressuræ diem super caput esse cœpisse, & occasum seculi atq; Antichristi tempus appropinquasse, ut parati omnes ad prelium stemus, nec quicquam nisi gloriam vitæ æternæ, & coronam confessionis Dominicæ cogitemus.* Et paulo post: *Quæ nunc omnia consideranda sunt nobis, ut nemo quicquam de seculo iam moriente desideret, sed sequatur CHRISTUM, qui & vivit in æternum, & vivificat servos suos, in fide sui nominis constitutos.* quid jam existimemus, eum de Anathematismis, caluniis, erroribus, cæcitate, superbiâ, persecutiõibus & Pharisaico Antichristianismo Romanæ Ecclesie & illius Pontificis dicturum esse, si revivisceret. III. Certum igitur est, homines istos nolle observare Spiritum Apostoli, sed ad unum hunc asserendum Ecclesie Romanæ primatum imprudentes & impudentes totos rapi. Cum tamen non agat hoc Apostolus, ut Romanorum fidem supra reliquas Christi Ecclesias extollat: aut excellentiam fidei ipsorum, reliquis Christianis omnibus, ut normam & regulam fidei secundum hodiernam sedis Papalis arrogantiam constituat & proponat: Sed solam existentiam fidei, quod creduli essent facti, & ejusdem annunciationem in mundo ad captandam benevolentiam apud Romanos, atq; ad provocandos etiã alios ad

E

fidem

de pie & congruè hîc cômendat. Unde & ipsemet Estius hûc locû non explicat, ut Prophetice aut universaliter de fide Romanorum in toto mundo prædicatâ prolatum: Sed inquit, p. : 8. *Hyperbole est, tum vulgo, quâ Sacra Scriptura frequentata. Nam sensus est: Fama fidei vestre multum lateq; per varias mundi partes diffunditur.* Et iterum: *Sensus igitur est: Gratias ago DEO pro fide vestrà, quæ tanta est, ut fama ejus universum mundum pervagetur.* Quomodo igitur hæc erunt Prophetice dicta, & quomodo in his verbis Ecclesia Romana constituetur Catholica & unica Interpretationis Scripturæ, credendorum item & vivendi tanquam sancta mater, unica norma & regula? Dicat hoc Pererius: Dicat Stapletonus: Dicat Baronius, vel dicat etiam, si placet; qui hodiè, non ex matrice Ecclesiæ Romanæ, ut cæteri; sed ex ipsius Pontificis Romani cerebro, velut universa tam infallibilis Sedis sapientia; ut immortalis & invincibilis Minerva, sibi videtur prognatus, Jodocus KEDDIUS, ludum agens coram fidelibus omnibus, etiam nû serpentinum; & dicens: *Nequaquam morte moriemini, si mihi obsecundaveritis.* IV. Est igitur superciliosa actantia, quod cit. th. 13. Pererius scribit, *Romanam Ecclesiam fidem, quam semel ab Apostolis perceperat, semper usq; adhuc inviolatam atq; incontaminatam conservasse, nullaq; ab illo tempore ad usq; presentem diem hereticæ pravitatis labe infectâ & sedatâ esse.* Petitur enim id quod in principio: & miserum argumentum est: Paulus de Romanis dicit: *Fides vestra annunciatur in toto mundo.* Ergo Romana Ecclesia semper usq; adhuc inviolatam conservavit fidem: pariter enim colligam, Ergo Ecclesia Ephesina, Galatarum, Philippensis semper usq; adhuc inviolatam servavit fidem, quia fides ipsorû in principio recta fuit, & itidem passim à Paulo cômendatur, Ephes. i. v. 13. Phil. i. v. 5. Gal. n. v. 11. V. Ecclesia itaq; est Catholica 1. ratione loci. 2. ratione temporis. 3. ratione fidei & doctrinæ. Cujus membra sunt & manent Ecclesiæ particulares, quamdiu audiunt & sequuntur vocem Pastoris & Capitis sui Christi. Quando autem ab ejus

voce

voce deficiunt, moriuntur & pereunt, ut Ecclesia Sardicensis, Apocal. 3. v. 1. Et talis Ecclesia particularis est etiam Ecclesia Romana: quæ quamdiu in verâ fide & doctrinâ perstitit vera Ecclesia fuit, tamen particularis, non Catholica. Quamdiu autem & quatenus secuta est vocem Anthichristi, erronea est, impura, corrupta, & maximam partem coram Domino emortua. Ut satis à nostratibus, & ad oculum dudum fuit demonstratum, modò adversa pars cœcitatem suam agnoscere vellet nec diceret: videmus. Joh: 9. v. 41.

QUÆRITUR II.

Num liceat jurare? cum Paulus dicat v. 9.
Testis mihi est DEUS?

Affirmativa ex hoc non solum loco, sed etiam ex aliis Scripturæ locis affatim probari potest: imprimis Exod. 22, 8. Oportet tamē rem esse *justam & seriam*; & sedulo cavendū est, ne committatur perjurium. *Temerario enim & illegitimo* juramento oppositum est illud Salvatoris nostri JESU CHRISTI: *Ne juretis omnino*. Matth. 5. v. 24.

IV. OBSERVATIONES.

I.

Fides vestra annunciat in toto mundo, inquit v. 8. Apostolus. Romani itaq; & ore & opere, fidem suam confesi sunt, quamvis ea manifestatio fidei multis periculis fuerit obnoxia. Qui verè credunt, id quod credunt loquuntur, spirant & vivunt: nec potest fides latere, sed in apertum nititur. *credidi, propterea locutus sum*. Ps. 116. v. 10.

II. *Testis mihi DEUS est, quem colo Spiritu v. 9.* Debent ergo imprimis Ministri Ecclesiæ DEO servire in Spiritu, id est serio studio ac toto conatu, cum animi sincerâ promptitudine, & alacritate, Finis illorum primarius sit **SERVITUS DEI, &**

E 2

Ejus

Ejus Gloria : non Dominatus & propria commoda. Qui enim officium suum pro parergo tantum habent, & omnia studia sua ad privata commoda conferunt, graviter peccant, & numerandi sunt inter illos, de quibus Paulus, Phil. 2. v. 20. & 21. dicit: *Neminē enim habeo pari mecum animo prae dicitum, qui germanē res vestras curaturus sit. Nam omnes, quae sua ipsorum sunt, querunt, non quae CHRISTI & ESU.*

III. Romā proficisci Apostolus desiderat, v. 10. Sed negat, id sibi contingere posse, nisi divinā voluntate. Unice igitur in omnibus viis nostris respiciamus ad divinam providentiam, & curas nostras tranquillo animo in DEUM rejiciamus. A Domino enim diriguntur gressus viri, Prov. 20, 24. *Nec hominis est via Ejus, nec viri est, ut ambulet, & dirigat gressus suos: Jerem. 10. v. 23. Sed in DEO vivimus, movemur & sumus, Act. 17. v. 28.*

IV. Pauli Consilium erat, visere ad Romanos, & illos confirmare in fide; sed impediabatur, v. 11. & 13. Possunt igitur bona quidem esse nostra consilia: Sed divina sunt meliora. Unde Theophyl. in h. l. *Vides, quā ille non prorsus causam divinam hujus inhibitionis conquirat. Sed paret, nil hesitans, Dei imperio, nos instructurus, ne curiosius, quae Deus gesserit, exquiramus.*

V. Paulus communem consolationem capere desiderabat per mutuam fidem, Romanorum & suam, v. 12. Nemo igitur in fide adeo perfectus est, qui non quandoque aliorum consolationibus indigeat, & qui non mutua aliorum fide corroborari, & consolatione Spiritūs erigi possit. Oportet autem fidem mutuam sinceram esse & veram, non discrepantem & erroneam.

VI. Paulus orationem suam prudenter mitigat, v. eod. & ut Theophyl. in h. l. loquitur, *Hoc ideo agebat, ne acerbiorē Epistolam redderet, neve illos lacesseret.* Imitanda est item ministris Ecclesiae haec prudentia Spiritūs, quo & caveant

immo-

immodestiam, & simul aliorum imbecillitati convenienter consulant.

VII. *Omnibus Paulus erat debitor: quoniam, ut iterum Theophyl. loquitur: irrefragabile debitum habebat predicandi.* v.14. Evangelium ergo omnibus pariter convenit, & in eo quilibet, quod discat, invenit: Insipientibus mirâ simplicitate se accommodat: Sapientes autem acri subtilitate fatigat. Omnes autem ad vitam æternam sapientes facit & informat. 2. Tim. 3. v. 15.

VIII. Paulus promptus erat ad Evangelizandum Romanis, v. 15. Sic quilibet paratus sit inservire proximo; maxime in Spiritualibus Sciat enim, quod, qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvam faciet animam à morte. Jac. 5. v. 20.

PARS III.

I. Dispositio & Summa.

Sequitur in versiculo 16. & 17. totius Epistolæ *Propositio*, quæ est: Salutem non acquiri, nisi per fidem in Christum. Et in hisce duobus versiculis continetur quatuor: 1. animus Apostoli erga Evangelium Christi. 2. Descriptio Evangelii. 3. Explicatio veræ justitiæ. 4. *ἀι πολογία*, quare justitia Evangelii sit vera justitia.

II. TEXTUS EXPOSITIO.

vers. XVI.

Non me pudet Evangelii Christi. I. Tertull. lib. 6. adversus Marcionem c. 13. & Vulgatus Interpres, nomen Christi omiserunt. Sed male. Vocatur enim admodum Emphaticè *Evangelium Christi*: 1. *ratione efficientis*, quia à Christo revelatum est, Joh. I. v. 18. 2. *ratione objecti*; quia de Christo, ejusque beneficiis agit. Quod autem definitionem Evangelii attinget: dicitur 1. *Potentia DEI*, *δυναμεις θεου*, tum propter causam efficientem, Deum; tum propter effectus, qui sunt divini, ut

E. 3

illu

illuminatio, remissio peccatorum: tum propter pugnantia, ut sunt Diabolus, caro, mundus, infernus, mors; qui per Evangelium debellantur. 2. *Ad salutem*; Ut sicuti Lex est *divina* & ad iudicium & damnationem: Sic Evangelium est *divina* & ad salutem. 3. *Omni credenti*: Ut exprimat causa instrumentalis, Evangelium apprehendens, nempe fides. 4. *Judeo primum, simul & Græco*. Ut indicaretur Evangelii universalitas. Quod enim dicitur: *Judeo primum*: non ad salutis, sed ordinis duntaxat, ut loquitur Mylius; sive *dispensationis*, ut loquitur Hunnius, *prærogativam* referendum est; quoniam prius tempore annunciatum est Evangelium Judæis, quàm gentibus. Ut rectè exponit Chrysostomus, & patet ex Act. 13. v. 46. Rectè igitur super hæc verba p. 9. Estius: sensus verborum est: Evangelium, id est Evangelica prædicatio seu doctrina per divinam virtutem efficax est ad præstandam salutem, id est iustitiam & vitam æternam, cuilibet credenti: quia nimirum Deus Evangelio velut instrumento vult uti ad salvandum homines, quibus Evangelium prædicatur.

vers. XVII.

Iustitia enim Dei) Hic versus continet principalem propositionem, & Thesin, quæ hæc est: Iustitia, quæ coram DEO iusti sumus, revelatur in Evangelio, & est iustitia fidei. Nec datur alius coram Deo justificandi modus, quàm fides in Christum, quem Deus per Evangelium nobis ut Mediatorem proponit: Uti Prophetico testimonio confirmatur. Dicitur autem *ἀποκαλύπτεται*, *revelatur*, quia loquitur de mysterio ab humanâ ratione & a sensibus abscondito.

III. QUÆSTIONES.

Quæritur I.

Quid intelligatur per
gloriam, v. 16?

Dicit

Dicit Apostolus: *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.* Cornelius igitur a Lapide in h. l. sententiam Apostoli quoque extendit ad salutem corporalem, & subjungit: *Atque hinc orta est consuetudo fidelium, ut Evangelium S. Johannis, contra venena, veneficia, morbos, aliaque incommoda gestent & circumferant.* Similia reperies apud Salmeronem tom. 4. comment. p. 614. Atque citari solet in hanc sententiam Augustinus, tract. 7. in Johannem T. 9. p. 28. dicens: *Cum caput tibi dolet, laudamus, si Evangelium ad corpus tibi apposueris, & non ad ligaturam cucurreris.* Resp. I. Longè rectius Estius in h. l. scribit: *Per Salutem intelligi 1. Salutem consummatam in vitâ aeternâ. 2. Salutem inchoatam, quæ obtineatur in hominis justificatione & habeatur in hac vitâ.* Sicut Ephes. 2. v. 8 dicitur: *Gratiâ salvati estis per fidem.* Et Tit. 3. v. 5. *secundum suam misericordiam salvos nos fecit. Siquidem spe salvi sumus.* Rom 8. v. 24. Intelligitur igitur salus animæ five spiritualis. Unde & ipse Cornelius statim subjungit: *Verum Apostolus propriè non de corporali, sed de spiritali salute hic loquitur.* II. Mos ille gestandi Evangelium è collo suspensum, superstitiosus est, nullo subnixus fulcimine. Ipse Augustinus enim cit. l. statim subjungit. lit. B. *Ponatur ad cor, sanetur cor. Bonum est, bonum est ut de salute corporis non fatigas, nisi ut à Deo illam petas. Si scis, tibi prodesse, dabit illâ; si non tibi dederit, non proderat habere illam.* Unde & superstitionem hanc refellit Homil. 43. in I. Cor. Chrysostomus Tom. IV. p. 115. inquit: *Etiam si Evangelium quifidem suspenderis, nihil faciens, non a deo magnam accipies utilitatem.*

Quæritur II.

Quid intelligatur per justitiam Dei?

v. 17.

DE hoc ita B. Lutherus præf. Tom. I. sub finem: *Oderam vocabulum illud: Justitia Dei, quod usu & consuetudine omnium Doctorem doctus eram philosophicè intelligere, de justitiâ (ut vocantur*

vocant) formali seu activâ, quâ Deus est justus, & peccatores injustosque punit. Indignum enim ipsi visum fuit, DEUM per Evangelium nobis justitiam & iram suam intentare. Donec, pergit, misere Deo, meditabundus, dies & noctes connexionem verborum attingerem, nempe, justitia Dei revelatur in illo, sicut scriptum est: Justus ex fide vivit. Ibi justitiam Dei cœpi intelligere eam, quâ justus dono Dei vivit, nempe ex fide, & esse hanc sententiam, Revelari per Evangelium justitiam Dei, scilicet passivam, quâ nos Deus misericors justificat per fidem, sicut scriptum est: Justus ex fide vivet. Hic me prorsus renatum esse sensi, & apertis portis in ipsum Paradisum intrasse. Et Paulo post: Jam quanto odio vocabulum, Justitia Dei, oderam ante, tanto amore dulcissimum mihi vocabulum extollebam, ita mihi iste locus Pauli fuit verè Porta Paradisi. Intelligitur per Justitiam Dei, justitia fidei, quâ justus est coram Deo homo. Unde & Musculus in h. l. p. 21. lectori cogitandum relinquit, annon conveniat, hîc vocem Græcam δικαιοσύνην vertere justificationem. Et dicitur Justitia DEI; I. ratione causæ efficientis, quia à Deo est, & quia Deus eâ nos donat, & induit: ut rectè Chrysostr. Theophyl. in h. l. Augustinus item lib. de Spir. & lit. c. 9. & 11. & alii docent. Quò pertinet insignis locus Pauli Phil. 3. v. 9. & cap. seq. 3. ad Rom. vers. 22. II. Ratione Effectus & Objecti; quia per eam coram Deo subsistere possumus, & quia hæc justitia valens est coram Deo. Sicut c. 3. v. 23. omnes dicuntur destitui gloriâ Dei; id est, quâ coram Deo verè gloriari possint, & subsistere.

QUÆSTIO III.

An Evangelium sit concio

Pœnitentiæ?

HAbemus hic definitionem Evangelii, quod sit potentia Dei ad salutem omni credenti. Dubium itaque est: An Evangelium etiam sit concio pœnitentiæ & accuset peccatum? Philippus enim in Corpore Doctrinæ, cap. de contritione

P. 5. 46.

P. 546. scripsit: Utendum est & voce Evangelii, quæ accusat in mundo contentum iræ & misericordie, quæ cernitur exhibitio filio. Ideo inquit Christus: Spiritus S. arguet mundum de peccato, quod non credunt in me. Jam cogitemus, quam latè pateat hæc predicatio, accusans & condemnans peccata. Et Lutherus scribit, Tom. III. Jeneasi Lat. p. 491. in cap. 3. Joëlis. DEUS inquit: Mittam eis verbum Evangelii, ut sic agnoscant suum errorem, & suum peccatum, faciamq; mihi amicos, qui antea summè mihi adversati sunt. Ac in Apologiâ A. Confessionis habetur: Summa prædicationis Evangelii est arguere peccata, & asserre remissionem peccatorum. Respondemus: Vox Evangelii, vel sumitur latè pro toto Ministerio verbi, Marc. I. v. 1. & C. 16. v. 15. & ita, quoniam Legem sub se complectitur, concio pœnitentiæ dici posset. Vel strictè & propriè, prout Legi contradistinguitur, & ita nihil aliud est, quàm μαρτύριον χάριτος δει, Act. 20. v. 24. sive concio gratiæ. Quæ igitur adducta fuerunt loca, in priori significatione accipienda sunt, non autem in posteriori. Vide Formulam Concordiæ, Art. V. thes. 3. 4. 5.

QUÆSTIO IV

An bona sit Definitio Fidei justificantis, quam habet Concilium

Tridentinum sess. 6. cap. 6.

EA autem hæc est: Fides justificans est, quæ creduntur vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atq; illud imprimis, à DEO justificari impiū per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu. Respondemus: Neq; bona est neq; sufficiens, nec qui talem fidem habet, verè est credens. Omis- sa est enim potissima pars Fidei, nempe Fiducia; & Definitio hæc non nisi Historicæ fidei competit.

QUÆSTIO V.

Quid sit ex fide in fidem, v. 17.

F

Piu-

PLurimum hinc variant Interpretes. Tertull. lib. 5. adv. Marc. c. 13. interpretatur: *Ex fide Legis, sive V. T. in fidem Evangelii sive novi.* Sedulius: *Ex fide DEI promittentis in fidem honoris credentis.* Ut sit relatio quædam inter *δὸς* ex parte DEI, & *ἀπίστω* ex parte nostrâ. Quæ etiâ est sententia Ambrosii, Theodor. & Oecum. *Ex fide rerum præteritarum in Christo in fidem rerum futurarum in nobis.* Bæda: *Ex fide hic obscura in fidem, i. e. in claram visionem in cælis.* Commodissima autem est sententia, esse ἀπιστῶσι & notari actum fidei continuatum. Sicut 2. Cor. 2. v. 18. quando dicimur transformari ex gloriâ in gloriâ, perennitas & continuitas significatur. Et sicut eâdem ratione scriptura sacra phrasibus utitur de virtute in virtutem, de seculo in seculum. Videatur Glasius, Lib. III. Tractat VI. can. 2. Philol. sacræ. Ubi itidem explicat de *progressu & incremento fidei*; seu fide, quæ quotidie incrementum accipiat. Ps. 84. v. 7. De virtute in virtutes. Perinde ut Estius quoq; in h. l. ad ductum Theophylacti & Oecumenii interpretatur: *Ex fide in fidem, id est, ex fide promovente & subinde augescente.* Sive de fide perpetuò crescente; ut Weinr. p. 52. Pulcherrime enim in h. l. Rungius: *Fides non est actus subitus aut momentaneus; sed subinde continuatus, & sumit incrementa ex imperfectâ in perfectiorem.* Eadem quoq; est in h. l. sententia Musculi.

QUÆSTIO VI.

Quænam intelligatur **FIDES**, quando
Apostolus dicit ex Prophetâ: *justus
fide suâ vivet?*

Non intelligitur Doctrina Evangelii, ut supra v. 5. dicebatur: ad obediendum fidei. Nec fides miraculorum, Matth 17. v. 20. 1. Cor. 13. v. 2. Sed fides salvifica; notitiâ, assensu & fiducia constans. De hoc Propheta dicit. *Justus fide suâ vivet.*

IV.

IV. OBSERVATIONES

I.

PAulum non pudebat Evangelii CHRISTI. Ergò quem Evangelii Christi pudet, vel quoad prædicationem, vel quoad liberam confessionem non est legitimus & genuinus ejus discipulus. Matth. 10, v. 34.

II. Evangelium est *δύναμις τοῦ θεοῦ*. Id est organum seu Instrumentum potens & efficax, ea res, per quam DEUS potenter operatur in cordibus salutem. Hebr. 4, v. 12 Eph. 5, 10. Rom. 10, v. 17. Ergo nec audiendus est Svvencckfeldius, hanc efficaciam verbo adimens; nec admittendi Enthusiasmi, aut alia Verbo DEI superaddita.

III. Evangelium est potentia DEI ad salutem omnium credenti. Quod igitur non in omnibus operatur salutem, sed quibusdam fit odorem mortis ad mortem, 2 Cor. 11, v. 6 hominibus imputandum est, non DEO.

III. Justus, in quantum justus est, vivit ex fide: ut qui vitam justitiæ neq; adipisci potuerit, nisi per fidem, neq; retinere eam possit, & in eâ permanere; neq; in eâ crescere & proficere, nisi per fidem. Ita rectè in h. l. Estius.

V. Justus fide suâ vivet. Ergo nemo salvatur fide alienâ. Sed etiam infantes in baptismo verâ, & propriâ donantur fide, nec baptizantur in solâ fide Ecclesiæ, ut Canon. 13. Concil. Trid. de Baptismo delirat. Et quia hoc est testimonium ex veteri Testamento desumptum, patet inde, unam eandemq; semper sonuisse doctrinam de hominis justificatione & salute. Chemnit. p. 50. Concil. Fides aliena potest impetrare beneficia corporalia, ut ex historiâ Cananæ patet. It. ut alius à Deo donetur fide. Nusquam autem scriptura docet, aliterius fidem, si ego sim sine fide, mihi imputari ad justitiam.

PARS IV.

I. Dispositio & Summa

Dixerat Apostolus: Justitiam coram DEO valentem ex fide esse. Hoc confirmaturus, ostendit, eam non esse ex operibus; quoniam omnes homines peccatores sint. Id quod capituli hujus parte ultimâ prius ostendit de Græcis sive Gentilibus; cap. autem seq. & 3. de Judæis. Syllogismus hic est: Justitia DEI aut est ex fide, aut ex operibus. Sed non est ex operibus, quia Græci sunt peccatores, neque servârunt Legem Naturæ; & Judæi sunt peccatores, quia nec isti servârunt Legem. Justitia igitur DEI, seu coram DEO valens, est ex fide. Sunt igitur tres principales *Propositiones*, ut rectè observat Weinrichius cōment. p. 60. hujus Epistolæ. 1. Omnes homines esse peccatores. 2. Hominem solâ fide in CHRISTUM justificari. 3. Hominem justificatum debere fidem suam declarare per bona opera. Nihil aliud ergo in hac parte capituli agit Apostolus, quàm ut ostendat, Omnes gentiles fuisse peccatores, & propterea accusari & damnari à Lege DEI, ut homines æternæ damnationi obnoxios.

II. TEXTUS EXPLICATIO.

Ostensus igitur, Græcos sive Gentiles esse injustissimos peccatores, & iræ DEI obnoxios, v. 18. adducit 1. illorum ἀσεβειαν, sive impietatem, per quam cum Chryso-
 stomo intelligimus peccata contra tabulam Decalogi primam admissa. Hanc demonstrat usque ad v. 24. ostendendo I. Notitiæ DEI naturalis abusum. Nam dederat illis DEUS τὸ γνωσθὲν τῷ θεῷ, sive Notitiam sui naturalem, v. 19. & quidem duplicem: 1. *Innatam*, seu cordi & animæ ipsorum in primâ creatione inscriptam. De quâ dicit Apostolus v. 19. φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς: manifestum est IN ILLIS. Et cap. seq. 2. v. 15. Opus Legis in cordibus scriptum est. 2. *Ac-*
quisi-

quisitam, quæ ex operibus DEI & contemplatione creaturarum colligitur: siquidem invisibilia DEI, id est, attributa ejus. (Quidam intellexerunt Angelos, sed rectè sententiam hanc Theophylactus rejicit. Idem verò Theophyl. Patrum quispiam sempiternam potentiam filium dixit, Divinitatem autem Spiritum Sanctum. Sed contemplatio naturæ non potest ascendere ad cognitionem & notitiam plurimum personarum in DEO) & imprimis ejus virtus & divinitas ex creaturâ mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, v. 20. Sed hanc veritatem, quam habebant de DEO, in injustitiâ detinuerunt. II. Ostendendo varios hujus abusus modos, quia 1. non ut DEUM coluerunt & glorificaverunt, nec ei gratias egerunt, v. 21. 2. Evanuerunt in suis cogitationibus; πολυθεῖαν statuentes; vel falsa de DEO cogitantes & credentes; vel optimis suis διαλογισμοῖς, circa vana versantes, nec altius quærendo assurgentes. Et quidem tam plebeji, quàm sapientissimi, v. 22. 3. Facti sunt Idololatæ, vel DEI gloriam, & divinitatem tribuentes creaturis; vel imagines colendo pro vero DEO, v. 23. Ps. 105. Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli: Videatur pulcher tractatus Cypriani de Idolorum vanitate. p. 174 ubi inter alia inquit: *Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud suos postmodum etiam in morte ceperunt: inde illis instituta templa: inde defunctorum vultus per imaginem detinendos expressa simulacra. Nam & immolabant hostias, & dies festos dando honores celebrabant: inde posteris facta sunt sacra, que primitus fuerant assumpta solatia.* Vide quoque hisce Paulinis penitus consona, quæ in cap. 13. & 14. Libri Sapientiæ leguntur; imprimis v. 1. 2. & 3. It. 8. & 9. cap. 13. & v. 15, 2. 5. & seqq. cap. 14. Triplex fuit Theologia gentiliû 1. Civilis, quam Pontifices exercebant in templis. 2. Fabularis, quam Poëtæ repræsentabant in theatris, 3. naturalis, quam Philosophi tradebant in scholis. Thomas comm. in h. l. & Ang. de Civ. DEI.

F 3

Deinde

Deinde II. ostensurus, omnes gentiles esse peccatores, & in divina reos: adducit illorum *adversas* sive injustitiam, quæ complectitur scelera & peccata multifaria Ethnicorum, contra secundam tabulam Decalogi admisa. Quibus, ex justo DEI judicio deserti, & in reprobum sensum traditi, v. 24. 25. & 26. peccarunt. i. in semet ipsos, & in propria corpora, immunditie, probris, passionibus ignominie, libidine in naturali, & sceleratâ atq; nefandâ Sodomîâ, v. 24, 26. 28. (Salvian. lib. 6. de Provid. DEI. *Vitiositas & impuritas quasi germanitas quædam est Romanorum hominum & quasi natura, quia ibi præcipue vitia, ubicunq; Romani.*) Est enim hoc *πνευματικὸν ἀνάθεμα*, Diaboli maleficiû, ut quâdo animâ corruerit Idololatriâ & fornicatione spiritali; postea aggrediatur corpus, & id scortatione, adulterio, incestu, Sodomîâ & aliis mutis peccatis ita deturpet; ut monstro scelesto & bruto similis sit, quâ habitaculo animæ ratiõalis II. In proximum. Quia enim ex justo DEI judicio traditi sunt in *ὄνειδος*, ut nihil recti neq; sentiant neq; faciant, sed cæco impetu ferantur, & contra principia rectæ rationis agant: Ideo repleti sunt omni iniquitate, varia scelera committentes, quæ ordine à v. 29. usq; ad finem enarrantur; & v. 32. sive ultimo, non solum ii accusantur, qui talia faciunt, sed etiam, qui facientibus consentiunt. Quâ ratione improbitas gentilium tantò magis exaggeratur, dum non ipsi solum hæc vitia committunt; sed etiam facientibus adstipulantur. Conferatur autem omninò cap. 14. Sapientie, à v. 23. usq; ad finem, ubi par hisce reperies scelerum inventarium.

III. QUÆSTIONES.

Quæritur I.

Quomodo intelligendum

fit illud v. 18. Ira DEI revelatur de
coelo super omnem impietatem
& injustitiam?

Estius

Estius in h. l. p. 12. scribit: *Revelatur ira DEI per Evangelii predicationem, dum in eo annunciatur hominibus poena, quas DEUS impiis & peccatoribus comminatur.* Et postea addit, *verba; De caelo vel ad verbum revelatur, vel ad verba; IRA; DEI;* referrī posse. Adscribit ergo Estius Evangelio Revelationem irae DEI, perinde ut Ballarminus lib. 4. de justifica. 2. scribit; *Apostolū hoc loco Evangelio tribuere officiū terrendi.* Sed hoc est Legis propriū, uti in parte praecedenti q. 3. fuit ostensum, & multis videri potest apud Balduinum quaest. 1. in h. l. Loquitur igitur Paulus 1. de illa revelatione irae DEI, quae per Legē cordibus hominum inscriptam est facta. 2. De illa, quae facta est per poenas caelitus sive divinitus immisas, ex indignatione & justissimā vindictā DEI. Jer. 24. v. 10.

QVÆRITUR II.

Quomodo Gentiles detinuerunt veritatem in injustitiā? v. eodem.

Praesupponimus, per *veritatem* intelligi τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, sive Legem Naturae, de DEO colendo & proximo diligendo. Hæc ergo veritas detenta fuit in injustitiā, id est, ut Hunnius explicat: *Id ipsum lucis, quod de DEO & bonis moribus in ipsis adhuc reliquum est, obruerunt per impietatem cordis & injustitiam, ut nec DEUM colant, nec vitam honestati studeant.* Vel, ut Mylius p. 27. explicat: *Vis illi cognitioni divinæ facta, & veritas, de DEO quam habebant, oppressa est.* Sive, ut Gerhardus p. 44. in h. l. loquitur, *veras illas de DEO notitias datā operā extinguunt, nec eas in vitam & moribus sibi pralucere patiuntur.* Detinere ergo veritatem in injustitia est, veram in DEO notitiam per pravitatem suae voluntatis suppressere, ac veluti captivam intra se tenere; sive veritatem quasi incarcerare: ne exeat ad effectus & opera conformia cognitæ veritati. καλέχεται est qd. captivū tenere. Veritas enim semper conatur emergere, Plato in Timæo: Parentem & opificem universorum neque invenire facile, neque inventum in vulgus promulgare tutum est. Igitur metu vulgi veritatem ap. se suosque paucos detinuit hic

hic tantus Philosophus. Hujus vitii reum facit Socratem Tertullianus adversus Gent. Apologet. c. 46.

Quæritur III.

In quem finem ἡ γνώσις τοῦ θεοῦ in cordibus hominum scriptum, etiamnum post lapsum in homine sit reliquum?

Notitia ista DEI naturalis, sive γνώσις τοῦ θεοῦ, duo insignia habet encomia. Vocatur 1. ἀλήθεια τοῦ θεοῦ, *veritas DEI, v. 25.* 2. δικαίωμα τοῦ θεοῦ; *justitia DEI, v. 32.* Rung. Weinr. p. 64. per ἀλήθειαν intelligunt legem Naturæ. Describitur 1. à causa efficiente. 2. materiâ, 3. forma, 4. fine. Dicitur verò gentiles reddere ἀναπολογίτους *inexcusabiles*. Finis igitur illius est 1. In civilibus regere liberum hominis arbitrium, sive ut Mylius p. 40. loquitur, regere τὸ ἐπιδυμητικὸν; *ne prorsus obbrutescat homo,* & ut civilis justitia in societate generis humani conserveatur. 2. Ut esset medium, per quod homines quasi manu ducerentur ad quærendum DEUM: DEUS enim non reliquit se ἀμάρτυρον, *expertem testimonii, Act. 14. v. 17.* Sed fecit ex uno sanguine omne genus humanum: ut quærent DEUM, si fortè palpent eum & inveniant. Act. 17. v. 27. Sicut igitur Gal. 3. v. 24. dicitur: *Lex Pædagogus noster fuit ad Christum, ut ex fide justificaremur:* Sic etiam notitia illa DEI naturalis, sive Lex naturæ cordibus hominum inscripta, Rom. 2. v. 15. Gentibus Pædagogus esse debuit, ut quærent DEUM, in Ecclesiâ salutariter agnoscendum, ad eum se converterent, & in Christum crederent. Sicut Jethro, Job, Gibeonitæ, Rahab, Regina Austri, Ruth, Naëman, & plurimi alii gentiles DEUM quæriverunt, & in Ecclesiâ invenerunt. August. lib. 10. confess. c. 6. ita ad DEUM loquitur: *Cælûs & terra & omnia que in eis sunt, undiq; mihi dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles.* Unde B. Chemnitius in Locis p. 185. aperte & rectè scribit: *DEUS aliquid suorum donorum in mente reliquum esse voluit, unde cognosci possit, & quid sit DEUS, & qualis sit. Item, ut possit esse Pædagogia in Christum.* Vi-

de Hutterum quoq; in Locis majoribus p. 273. Et de priori fine ibidem dicit: *Mirabili quodam modo DEUS, etiam non renovatorum voluntates, generali actione, tanquam freno cohibet & coercet, ne erumpant in omnis generis flagitia, sed ut præstetur aliqua disciplina: idque ideo, ut p̄i qui vivunt in mundo, tanquam oves inter lupos, quietam & tranquillam vitam agere possint.* 1. Tim. 2. v. 2. Quoniam igitur Gentiles DEUM non quæsierunt, & p̄dago hoc atque manu ductione istâ non sunt usi; sed veritatem DEI commutaverunt in mendacium, & coluerunt & servierunt creaturæ potius, quàm Creatori, v. 25. Ideo sunt inexcusabiles, nec possunt aut impotentiam prætexere, aut ignorantia: (Illud proinde: *ut sint inexcusabiles, dicitur sensu consecutivo: Hic finis enim accidentarius est.*) DEUM enim esse sciverunt; & in quærendâ Ecclesiâ, externoque mediorum salutis usu liberum arbitrium habuerunt, ut ipsa Formula Concordiæ docet in declarat. art. 2. Notitia igitur illa DEI naturalis Pædagogica fuit, non autem *salvifica* [ut apud Sleidanum lib. 23. Monachus Franciscanus publicè in Concilio Tridenti fuit concionatus] ut alibi quoq; ostenditur. (Vide hîc annotata ad Locum de Libero Arbitrio.)

Quæritur IV.

Quænam fuerint grandia flagitia masculorum

& fæminarum v. 26. & 27.

AB hisce aures castorum meritò abhorrent. Dicuntur enim tantæ fædisimarum libidinum abominationes, ut de iis verecundia vix cogitare, nedum verba facere patiatur. Unde & vocantur *peccata muta*, Sap. 14. v. 26. Nam quæ secretò fiunt ab istis, *turpe est vel dicere*, Ephes. 5. v. 12. Appellantur autem in genere *peccata Sodomitica*, à sceleratis Sodomitis, Genes 19. v. 5. Italis satis nota. Unde & Johannem de Casa, Archiepiscopum Beneventanum, referente Mylio, p. 34. non puduit, scripto in laudem Sodomix libro, flagitium istud *Artem divinam* quâ mirum in modum ipse delectetur, appellare. Et ut Musculus scribit in h. l. p. 28. addere: *fatuum esse, qui Sodomiam non oblectetur.* Sic Petrus Aloysius Pauli III. filius, referente Weinrichio in h. l. p. 89. Cosmo Cherio, Episcopo Fanensi prodigiosam vim intulit, adhibitâ fervorum opera, qui illum distinerent. Sed profligatissimum scelus est, opus *Cacodæmonis*, & ipse infernalis *Diabolus ac Beëlzebub*, pice, & sulphure Sodomitis cælitus immisso

misso è mundo expellendus. Habeat igitur tremenda sua scelera sibi prodigiosa Roma Talia autem procul à nostrâ Germaniâ exulare jubeat divina omnipotentia.

Quæritur V.

Quomodo DEUS dicatur gentes tradidisse in desideria cordis eorum, v. 24. & in reprobum sensum, v. 28.

Respondemus. Ex justo suo judicio, & voluntate consequente; deserendo, hominem sibi relinquendo, metas præscribendo, ad bonum finem dirigendo, & tandem Satanæ tradendo. Quicquid igitur hic fecit, fecit ut justus judex, nec est peccati causa. Pl. 5. v. 4. *Tradere igitur est permittere; non incitare, aut immittere, ut rectè hunc locum exponit Ambrosius.* Hinc semet ipsum Apostolus explicat, Eph. 5. v. 19. scribens: *Gentes semetipsas tradidisse lascivie, ad patranda[m] immunditiam omnem cum avaritia.* Sunt enim quædam ita peccata, ut simul etiam sint pœna præcedentium peccatorum.

IV. OBSERVATIONES.

I. Revelatur ira DEI de cælo super injustitiam, v. 28. Reatus igitur & pœna sunt individui comites peccati, nec ullum delictum manebit impunitum.

II. Homines sunt *inexcusabiles*, v. 20. Ergo causa condemnationis non est in DEO quærenda, sed in hominibus. Jerem. 2. v. 17. Hos. 13. v. 9.

III. *Dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt*, v. 22. Ergo *sapientia hujus mundi stultitia est apud DEUM*. 1. Cor. 3. v. 18.

IV. Tradidit illos DEUS in desideria cordis eorum, v. 24. Ergo atrocissima pœna est, justo judicio DEI desereri. *Ve enim eis, cum recessero ab eis*. Os. 9. v. 13.

V. Gentiles repleti fuerunt omni iniquitate, vers. 29. contra naturam facientes, v. 28. Ergo homo, abjectâ religione & metu DEI non solum obbrutescere, sed etiam infra bestias suo furore abjici potest. Et quid sit homo post lapsum sibi relictus, ostendere potest vel iste Catalogus peccatorum hîc enumeratorum.

VI. Digni sunt morte, non solum, qui ea faciunt; sed etiam qui consentiunt facientibus, v. ult. E. Faciens & consentiens eâdem pœnâ digni,

AB: 155735 (1)


ULB Halle 3
003 023 915




80

V. 12







AUSPICE JESU!
IANI CHEMNITII,
 D. Prof. Publ. Pastoris & Superin-
 tendentis b. m.
COMMENTARIUS
 in
AP. I. EPISTOLÆ
 ad
MANOS,
Quem
PRÆSIDE
VIRO
 XIME REVERENDO ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO
ESTO GERHARDO,
 D. & Prof. Publ. h. t. designato
 LECTORE MAGNIFICO,
 tore arque studiorum suorum Promotore
 rvantia & gratitudinis cultu ac vultu
 eviternum devenerando,
publica ventilationi subjecit
ANNES CRAUSIUS,
 Thumâ - Misnicus,
 c. PHILOS. ADJUNCTUS,
 itorio Theologorum
 Anno Epoches Christianæ
 c10 10c LXVII.
 Typis Johannis Jacobi Bauhoferi.